COMETOLOGIA LACONICA

Contra Portentoſam
COMETARVM APPARITIONEM.

MARCI GRISALDI
Philoſophi, et Medici Peruſini, Inſenſati Academici, Theoricen Medicinæ in Patrio Gymnaſio primo loco profitentis.

Ad Illuſtriſsimum
SCIPIONEM BVRGHESIVM
S.R.E. Card. Ampliſsimum.





P E R V S I Æ,

Apud Auguſtos. CIↃ CI C VIII.
Superiorum permiſſu.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſſ. D.

D. SCIPIONI BVRGHESIO S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO

Marcus Griſaldus. S. D.



NON eſſem auſus, exiguum, atq; obſcurum libellum dicare Illuſtriſsimo Principi; ſi non ille, pro ſua tenui facultate, cauſam Principum ageret aduerſus inueteratam, eamque falſam ſententiam priuatorum. Comeas omen Principibus timendum, quis

quis obſecro non putauit,non affirmauit Scriptorum ſiue veterum,ſiue recentium ? calumnia eſt , & iniuria , Cœlo temerè illata . Propterea crediderim, non affuiſſe Scriptoribus Iouem , dè Cometarum natura diſſerere conantibus . Hoc tam grande , ac propè impium crimen paruus libellus euertere laborat : & aliquis miratur, ſi ad tantum Principem , & tanti Pontificis Nepotem,ſubſidij cauſa, confugiat ? Nam illud prudens omittò , quod meam Patriam Amplitudo, & Benignitas tua officijs cumulauit, ſemper manſuris : nunc enim neque actum gratias venio, neque relatum : illud mea prohibet infantia ; hoc tua non fert munificentia . Quid ergo eſt ? peto nouum beneficium , & me arctioribus tibi vinculis adſtringo . Suſcipe clientem tuendum , cui nouitas paruam auctoritatem , veritas

multam

multam inuidiam parauit, Ita tibi regalia ſidera, quam Fortunam naſcenti ſpoponderunt, & adulto inchoarunt, mox maturo fœliciter abſoluant. Peruſiæ. Pridie Idus Decembris M. D. C VII.

AD LECTOREM
Excell. D. Sebaſtiani Peſsini, Philoſ. & Medici Lucenſis.

HVmana mens Propago Regis Cœlitum
Spreuiſſe fortis ludicras debet minas,
Quas de Cometa ſomniat plebecula,
Id eſſe verum monſtrat hic doctus liber;
Qui deſipis cum plebe, ne legas, lege,
Qui ſapis, vterq; at potius hoc opus legat,
Deſipere ſinet ille, & ſapiet hic firmius.

Idem
Ad Excellentiſs. Virum D. MARCVM GRISALDVM.

SIſtant ne quicquã toruo aſpiciẽtia vultu
Lumina mirari credita ferre necem.
Horrendũ non atra ferũt hæc lumina bellũ,
Aut diram è Superis ipſa tulere luem.
Traxerat hæc quodã Phæbus, tellure madẽte
Ornarat radijs ſæpe coacta ſuis.
Quæ ſit, ſi quærant, ſubiti ſplendoris origo,
Quidue ferat, Phœbus, te referente, docet.

AD LECTOREM
COMETES LOQVITVR.

AVferte magni Principes tristem metũ;
Iniuria quē priscus inuehit Sophus:
Haud cieo ego bellā Ducibus, haud Martem voco,
Nec vlla veniunt post Cometen funera,
Pestesque longe a Principum palatijs
Abeunt, tumultus, rixæ, & arma fraudibus
Surgentia, ignis, hostis, & fames abest.
Non ipse fatum classibus denuncio,
Hostis nec vnquã per me ad vrbis mœnia
Venit, nec vllum desero terris malum:
Quinimo pacem, Nestorisque secula,
Auguria pariter spondeo felicia,

Cælum benignum reddo, tranquillũ mare.
Quid hæsitatis Principes? quid milites
Adhuc timetis impia hostis vulnera?
Quid nauta fluctus æquoris te territat?
Studete paruo seduli volumini,
Et lectitate maximi librum Sophi;
Docebit ille non timendum Principi,
Non militi, non vasta sulcanti æquora:
Me singulis fulgere prosperum iubar.

Bernardinus Zibellinus
Perusinus.

Ad
MARCVM GRISALDVM
Excellentissimum Philosophiæ,
& Medecinæ Doctorem

De Cometis disserentem.

ET funus, et pestem, et timorē maximum
Incutere sorti, aiunt, Cometen Principi.
At tu GRISALDE contra disserens, dies
Cum longiores indicarier probes,
Quam Pylius æuo vixerit prisco senex:
Et cum serenum spondeas Cœli globum,
Vastique reddas limpidos freti sinus,
Cometa medio cum refulget in æthere:
Nō dubito, quin Astronomus egregius eluas,
Vt egregius & Medicus, & Sapiens eluis.

Idem.

VINCENTII CORONÆ REATINI

Epigramma.
In laudem Cometologiæ Excellentissimi D. MARCI GRISALDI.

QVI pauet exustas, infausto crine, Cometas
Hic relegat cartas; docte GRISALDE, tuas;
Esse etenim monstras vani portenta timoris,
Et quod mendaci rumor ab ore fluat:
Num labor humanus! quod sic cœlestia tractet
Omina, cœlestis, non nisi, mentis opus.



In

In
MARCI GRISALDI
Excellentissimi Doctoris
Cometologiam,
BVRGHESIO alite defensam

Prodi parue Liber: Princeps te diliget ōnis,
Cum spolies pauido regia corda metu.
Prælia clamabant, pestemq; famemq; Cometæ,
Omnia fundentes æthere dira prius.
Rex miseranda sibi metuebat fata, cruentam
Intuitus faciem, sanguineasque Comas.
Talia per te hodie non āplius astra loquūtur
Omina, nec mundo monstra timenda ferūt.
Quod si cruda parent te perdere tela Sophorū
Ne verearis. adest Armiger ipse Iouis.

Io: Baptista Bottinius
Lucensis.

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS,

Quæ breuiter complectitur quicquid in singulis continetur capitibus.

Cap. I.

EX varijs Cometæ nominibus, veri seliguntur, & eius finitio per quatuor causarum genera proponitur.

Cap. II.

MEthodo diuisiua quotquot extant de materia, & esse Cometarum, opiniones recensentur, &, quæ vera, indicatur.

Cap. III.

IN eos, qui Crinitarum materiam Cœlestem, sunt arbitrati.

Aduersus Pythagoreos, Platonem, Senecam, qui posuere Cometam esse vnum Planetam.

In Apollonium Mindium, asserentem, Crinitam esse plures Planetas.

Contra Hieronymum Cardanum, cui Cometa est globus sidereus, a Sole illustratus, per quem transmissi radij Comam faciunt.

Petrus Surdus notatur, dum Cardanum defendit.

Anaxagoræ opinio exploditur, dum congressum Planetarum Cometam affirmat.

Artemidorus reprehenditur, asserens, Cometam esse infinitarum Stellarum coitum.

Cap. IV.

ADuersus illos, qui Crinitarum materiam fecere Elementarem.

Boëthus dicebat, nubem inflammatam esse Cri-

Crinitam, insulse tamen ob varias rationes.

Epigenes reprehenditur, dum ponit, Cometam esse vaporem in turbinibus, & ventorum contrarietate eleuatum.

Quantum ascendant vapores.

Qui, vel ignei elementaris portionem densiorem, vel perfectum mistum, ceu carbunculum, fecere Cometam, reijciuntur.

Cap. V.

IN eos, qui permistæ naturæ Crinitas, dixere.

Lux densa nube comprehensa a Stratone Lampasceno, vel nubes illustrata ab Heraclide Pontico inepte Cometa iudicatur.

Hipocrates Chius Mathematicus damnatur, dum affirmat, Cometam esse Planetam, qui Comam assumit ex aspectus nostri a vapore, quem illud attrahit, ad Solem reflexione.

Iulij Cæsaris Scaligeri sententia reprobatur, cui Cometa est fumus irradiatus a Sole.

Vera Crinitarum materia est calida, & sicca exalatio. ;. &. quas debeat habere conditiones, demonstratur.

Eadem ignitorum, quæ in sublimi fiunt, matetia.

Cometarum materiæ ascensus, & attractionis causæ.

Corollarium in Antonium Mizzaldum.

Cometæ Cœlestes ab aëre vbi generantur, quem Cœlum, Ætherem dicimus.

Cap. VI.

FOrmarum diuisio, cognitio.

Ignea forma substantialis Cometæ.

Iulius Cæsar Scaliger notatur, dum ignem hunc nostrum eiusdem rationis cum Elementari ponit.

Accidentariæ Crinitarum formæ vnde petendæ.

Historicorum, Astrologorum, Aristotelis, & aliorum Philosophorum de speciebus, differentijs, & numero Cometarum reiectis opinionibus, quid sentiendum sit hac in re, proponitur.

Cap. VII.

QVorumdam reiectis placitis de Crinitarum loco, eas in superiori aëris regione fieri, indicatur.

Supremæ aëris regionis partes duæ, quarum vna cur altera in motu velocior.

Quomodo in harum vna, vel altera Cometæ geniti dignoscantur.

Cap. VIII.

FVndamenta Cardani, & aliorum octo in aëreum Crinitarum locum diruuntur; quorum occasione multa, scitu digna enarrantur.

Cap. IX.

EFfectricibus Crinitarum causis, tum proximis, tum remotis verè explicatis, Epigenes notatur, dum ventum ijs adiecit.

Argumentum in eam veritatem dissoluitur.

Al-

Albumasar, & Arabes reprehenduntur, dum Martem Cincinnatorum siderum auctorem, & patrem agnoscunt.

Qui luminarium deliquia, Mercurium, & Martem Crinitarum effectores, sunt arbitrati, eos esse a vero longe alienos, probatur.

Cap. X.

NON trinum Cometis motum, vt putant Cardanus, Mizzaldus, sed quinum competere, scribitur.

Et vnius cuiusque speciei ratione elementaria assignata, non facile immobiles Cometæ conceduntur.

Phœnomena quoque in Crinitarum motu absque vlla siderum actione saluantur.

Cap. XI.

SIderibus aliquando alligatæ Crinitæ quomodo per motum posſint dignosci, explicatur.

Cuius motus varij ratio petita ab Astris

Et

Et Hieronymum Fracastorium, nouum orbem sub eo Lunæ locantem, pro motu Crinitarum in lacus saluando, redarguit.

Et Regiomontani exemplum de miro vnius Cometæ motu illustrat.

Cuius occasione Mizzaldi notata inconstantia, blande alter eius error detegitur.

Cap. XII.

EORVM sententia reiecta, qui vel casu, vel materiæ necessitate generari Cometas, putarunt.

Quorum finis verus, isque multiplex, & dum fiunt, & dum facti sunt, assignatur.

Ac tandem ab Astrologis adscripti fines Crinitis, & effectus, quò disputationi subijciantur, proponuntur.

Cap. XIII.

EORVM, quæ ab electione fiunt cum Astrologis, quomodo physicæ causæ sint Crinitæ, declaratur, obseruatione,

& Poëtarum testimonio confirmatur.
Mox id totum, quod hac in re scribunt Astrologi, impugnatur.
Bellorum, rixarum, & istiusmodi malorum seminaria vnde, aperitur.
Poëtis, & obseruationibus respondetur.

Cap. XIV.

PRincipum mortes, pestes, Cometis naturaliter adscriptæ, cum Astrologis explicantur.
Mox figmentum esse eorum opinionem, probatur.
Quorumdam fuga impugnatur.
Pestiferæ constitutionis aëris causæ proponuntur.
Quomodo ab apparitione Cometæ Magnates pereant, Physica, & Theologica ratione illustratur.
Tandem Annonæ inopiam non pendere a Cometis, demonstratur.

Cap. XV.

VI cœlitus immissa Astrologorum aliqui diras tot malorum causas faciunt Cometas

Cometas, quorum opinione multis argumentis refutata, obiectione quadam soluta; iudicio D. Basilij de Astrologis apposito: Sacræ Scripturæ auctoritate satisfaciendo Haly, simul omnibus obseruationibus, & auctoritatibus, quæ ab Astrologis in propriæ sententiæ confirmationem adduci possent, respondetur.

Cap. XVI.

COmetas naturalia signa tot malorum, quæ ab Astrologis temerè illis imponuntur, haud esse posse, probatur. Experientiæ, ac exemplis adductis, alijs experimentis, & exemplis (indicata deceptionis Astrologorum causa) respondetur.

Cap. XVII.

SIgnorum diuisione præmissa, & eius partibus declaratis, neque humana, neque diuina signa nostrarum calamitatum esse posse Crinitas, probatur, qui nobis



nobis, bona multa pollicentur.

Obiectiones aduersariorum ex sacris litteris è medio tolluntur.

Ac tandem si quid mali Crinitæ, Hæreticis, alijsque impijs a vera fide hominibus, non Christianis, minitantur.

Cap. XVIII.

MVlta per se, & alia queque per accidens a Cometis indicari, & lapides in aëre generari, demonstratur.

Cap. XIX.

MVltorum reiectis opinionibus circa Crinitarum perdurationem, varium, & indefinitum tempus illis deberi, probatur.

Come-

COmetologicorum problematum Synopsim consultò omisimus; vix enim quæ ibi habentur, compendiosius dici possent; quare ad ea Lectorem remittimus, cuius iudicio inter imprimendum errata iudicanda quoque relinquimus.





DE NOMINE
ET DEFINITIONE
COMETAE

Cap. I.



Ometologiae huius nostrae initium, seu sermonis de Cometis primordia, a Cometae vocis vsu ducamus; inde enim sępius in rei perceptionem prouehimur, quemadmodum Diuinus Plato in Cratilo, multis in locis a secretis naturae Aristoteles scriptum reliquit. Nomina siquidem ad rerum substantias data distinguendas. Cometes igitur, aut Cometa, Κομήτης Gręcis, Latinis Cri-

 nita,

nita, & Cincinnata Stella, auctore Cicerone 2.de nat. Deorum, omnibus suis speciebus impartitur notationem; non quòd singulæ cum crinibus circumcirca, sed frequentiores, & prestantiores. Qui verò timendum sidus, dirum Regnorum euersorem, calamitatum prænuncium, legum peruersorem, bella, pestem, principum mortes, annonę caritatem, infinitaq; alia propemodum mala afferens, ominosum astrum vocant, (libere loquar, nam

Regia res verax lingua est, et pectus apertũ)

haud quaquam certis rationibus inniti videntur: namq; euentuum horum nullus Cometæ, vt causæ, vel signo, adscribendus, ex veris fundamentis demonstrabitur, cum natura nostra propensior semper ad demonstrationem, quam ad reprehensionem fuerit; Eorum verò basis sit Cometæ finitio. Est enim fumimida exalatio ad summam aëris re-

gionem

gionem elata, calida vi incensa, ad multarum rerum, & ignis præsertim speciem seruandam. Hanc si ex quatuor causarum generibus conflatam definitionem ostendam, bonam me dedisse existimabo. Fumida exalatio, Materia. Locus, Aëris superior regio. Forma, Ea ignitorum. Efficiēs, Calida facultas. Finis, Conseruatio quarumdam specierum. At hæc fusius examinare libet; a Materia incipiam, tamquam a causarum radice.

De Materia Cometarum, cuius occasione, definitiones ab alijs de Cometis traditæ, excluduntur.

Cap. II.

ANTIQVVM certamen, & adhuc sub Iudice litem, aggredior, sint ne Cometæ Cœlestis materiæ, an verò Elementaris.

Necesse itaq; est, Cometarum materiam, vel esse Cœlestem, vel Elementariam, vel commixtæ naturæ. Hi cœlestem arbitrati sunt, quibus Cometa est, vel Cœleste corpus, vel aliud ab eo fluens. Si corpus, vel vnus errans Planeta, vt Pitagorei, Plato ex Olympiodoro, & Seneca; (demptis tamē Luminarijs, quę repræsentare haud posse Crinitas, est communis assensus) vel plures Planetæ, vt Apollonius Mindius; vel globus sidereus, vt Cardanus. Si quid a corpore, vel congressus plurium Planetarum, vt Anaxagoras, & Democritus; vel coitus infinitarum propemodum Stellarum, vt Arthemidorus. Elementaris verò visa alijs, quibus nimirum est, vel nubes inflammata, vt Boëthus, et Xenophanes putarunt: vel vapor accensus ventorum, & turbinum vi, vt Epigenes; vel particula ignei elementi densior facta; vel perfectum mixtum in suprema regione fulgés.
tam

tamquam carbunculus: vel ardens exalatio, vt Aristoteles. Mixta quoq; est a multis posita: nam vel lux densa nube comprehensa, ac obuelata, vt Strato Lampascenus existimauit; vel nubes illustrata, vt Heraclites Ponticus: vel Stella Cœlestis, & Coma Elementaris, ab attracto ad Solem aqueo humore, repercussione luminis facta, vt Hypocrates Chyus Mathematicus; vel contra Coma Cœlestis, & Stella Elementaris, vt Iulius Cæsar Scaliger. Harum opinionum nullam, præter eã Aristotelis firmam, rationiq; consonam esse, partim ex primo Metheor. partim ex nobis, ipsi demonstrare conabimur.



Cometarum materiam non eße Cæleſtem.

Cap. III.

QVI volunt, Cometam eſſe alijs ſuperadditũ Planetam, vt Pitagorei, ab his ſe vẽdicare nõ facilè queunt. Stellæ õnes ſphericæ ſunt (vt ſecundo Cœli bonus ille naturæ genius Ariſt. fusè demonſtrauit) Cometæ verò plures in longũ porrecti. Neq; Senecę fuga valet, dũ ait, Crinitarum Stellarũ corpus rotundum; at oblõgum videri ob porrectũ ſplẽdorẽ: namq; Sol, ſiderum omniũ ſplendidiſsimum, non ita in longum ſplendorẽ ſuum extendit, vt aſtrum videatur oblongum. Præterea Planetarum motus non fit extra Zodiacum, qui in altitudine duodecim, vnde Planeta

neta vltra sex gradus eo motu non voluitur in lōgitudine 360. graduū: plures verò visi Cometæ Meridiem versus, & Septentrionem, in longa a signifero distantia, non solum in Australi, & Occidentali India, vt scribit Cardanus, verùm & alibi, vt historiarum narrant Scriptores: neq; plures simul apparerent Cometæ; eiusdemq; semper essent figuræ, quæ tamen experientia refellit, cum duo, & tres quandoq; apparuerint, alij vndequaq; Comati, alij in vnam tantum partem crines ferentes barbati, alij caudati, & diuersarum a circulari figurarum. His accedit Aegyptiorum auctoritas, qui Stellam fixam (vt refert Philosophus) in Canis femore, accepta coma, Cometem factum obseruarūt; & visus, ac dissolutus Cometes 1605. in Sextodecimo Sagittarij gradu, vbi eo tempore Planeta nullus; & hanc aperte opinionem inanem esse demonstrat, & al-

teram Apollonij qui plures dicebat esse Planetas Cometes. In eam & nuper, inquam, pugnant adductæ rationes, & quod super Orizontem visæ Crinitę, euanuerint, nulla relicta Stella; vt exemplo demonstrat Philosophus Metheor. primo de Cometa, non Sole minoris magnitudinis in Acaia, qui cum per saltum occumberet, maximo emisso lumine, per sexaginta gradus Emispherium collustrans, nullum reliquit astrum Planetarium. Præterea ab Apollonio quærerem, qui arbitratus est, non eundem sub Claudio visum Cometam, qui sub Augusto; nec eum, qui sub Nerone, similem illi fuisse, qui sub necem Iulij emersit; Quam ob causam multa illa errantia sidera tam rarò emergant? nam si in rarum, & post multa temporum interualla a Sole digressum, causam respondeat, profectò opus est; cur non certis temporibus, quæ

ab

ab Aſtrologis, vt reliquorum quinq; Planetarum digreſsionis, & diſiunctionis tempora obſeruata ſint, ſidera illa a Sole digrediantur, ſed nunc longioribus, nunc breuioribus, nulla temporis ſeruata menſura. Inſtat altera rurſus ratio; nam per vniuerſum Cometam acies ſępe tranſmittitur; at niſi per aliquam partem tranſmittatur, non eſt illa certa, ac definita; ſed modò hæc, modò alia, pro vt denſa, aut rara magis erit materia; per ſidera verò vlteriora non cernimus; neq; ab orbe condito auctus, & obſeruatus tam varius, qui in Cometis, errantium Planetarum motus, & numerus, quorum orbes in multitudinem aliam a ſeptenaria non abire, norunt Aſtrologi: at demus ei, aſtra dari Planetaria plura, nimium hæc eſſent in motu irregularia, cum, nulla annorum obſeruata ſerie, conſpiciantur Crinitæ; in Cœlis verò omnia ſimmetra cum

regula, & menſura. Earumdem demonſtrationum nonnullæ in Cardanum emittũt iacula, qui globum, in ſingulis Cœlis a Sole illuſtratum, per quem tranſmiſsi radij comam faciunt, Cometam exiſtimauit; quibus has ſuperaddo, quòd & ſinguli Cometæ barbati certo temporis interuallo, & frequentius, immo per totum annum, vt aliæ Stellæ, conſpicerentur: Neq; dicat, aëris denſitas, ne videantur, impedit: nam per plures dies, nebuloſo, obſcuro, ac nubiloſo Cœlo 1578. Crinita Stella a plurimis viſa, & obſeruata fuit. Ponit præterea Cœlum ſideribus, & iſtiuſmodi ciccindelicis globis, ſed non denſis admodum plenum; verùm aëre ſicceſcente accipere lumẽ, quæ nec placent: nã Ariſtoteli ſunt veluti in tabula nodi, & denſiores Cœli partes ſiderei globi; nec ob aëris ſiccitatem aſtra in Cœlo inflammari, eſt audiendum; nam miſerum æternum illud, quod a caduco

duco patitur; quare etiam non æquè omnès illi globi Cardanei accenduntur. Ridiculum est etiam existimare, in Planetarum orbibus alios esse stellatos globos, præter Planetarum corpora: Triplicem quoq; motum tribuit Cometis. Rotari eos dicit motu primi mobilis: Planetarum altero. Tertio Septentrionem versus: hæc verò sidereo fixo globo euenire nequeunt, qui diuersis in locis, veluti in puerilibus, modò apparet, modò absconditur Cardano, a quo & illud desiderarem, Et quare etiam non astra omnia sic Comata fiant a Sole? Et quomodo li. 14. de Variet. ca. 60. scribat; Inter nobilissima, quæ in aëre ostenta videntur, sunt Cometæ, de quibus aliàs dictum est? Si enim in aëre, quomodo globi Cœlestes? Neq; existimandum est, ab exalatione, in aëre accensam facem Cardano esse Cometam; in Cœlis vero globum æthereum eum posuisse,

se, quo in subtilioribus ingenia nostra exerceamus, vt Petrus Surdus malè iudicauit. Nam & in libris de Subtilit. & in primo de varietate, & in Commentarijs super Ptholomæi quadripartitum, ex professo longo sermone, contendit in Peripateticorum opinionem. Eorum igitur, quæ scripserat, oblitus, eo in capite apertè sibi scripsit contradicens. Congressum vero omnium, vel plurium Planetarum esse Cometarum materiam, vt voluit Anaxagoras, nec Aristoteles admisit, nec nos permittimus: nam eum reprobant priores in Pitagoreos rationes; Et plurium inter se Planetarum, ac etiam fixarum Stellarum coitus, certe factus, nulla succedente Crinita, vt Aegyptiorum testatur auctoritas, ab Aristotele Methor. primo allata; & ipsius obseruatio, qui Iouis Stellam vidit, cum alia in Geminorum signo coëuntem

untem

untem ; & huius viſa Eclypſis, Cometa nequaquam ; qui tamen apparuiſſet, ſi ab vnione errantium ſiderum oriretur ; nec ſtellas coëuntes, ac iunctas, aut magnitudinem maiorem poſſe efficere ; aut lumina ſua miſcere, ſplendidumq; aliquid ſpectandum exhibere, concedit Ariſtoteles eodem loco, cum, veluti puncta indiuiſibilia, viſui appareant. Præterea, Stella ſtellæ ſuperueniente, ſi oriretur Cometa, momento eſſe deſineret ; velociter namq; tranſeunt, ob eamq; cauſam ſiderum omnium defectio breuis eſt, quippe quæ eodem motu inter ſe diſiunguntur, dum feruntur admotæ. Sol enim,& Luna, cum lumine deſtitui cœperint, intra exiguum tempus liberati, illud recipiunt, & quò fuerint ſtellæ minores, eò celerius obſcuratas, illuminari eſt opus. Crinitas autem non tam celeriter tranſire, ac deſinere
non

non ne constat eius exemplo, quæ Neronis tempore senis mēsibūs sese spectandam præbuit? Præterea tanto interuallo disiuncta sidera nō adeo inter se vniri posse, credo, vt Cincinnatæ Stellæ speciem repræsentent; & si referrent, citò exolerent instar Coronæ, quæ Solem, & Lunam solet cingere. Neq; tot colorum, & figurarum species, quas in Cometis per eam luminum miscelam diutinas fieri posse, doctè domonstrauit Seneca. Quot etiam Stellas congredi inter se oportuisset in maximo illo Cometa, qui, Attalo regnante, dum extingueretur, tertiam Hemispherij partem illuminasse dicitur? & in altero, qui post mortem Demetrij Regis Syriæ effulsit, non sole minor? Centum enim in vnum licèt astra congregentur, numquam Solis magnitudinem adæquabunt. Quæ sanè argumēta in Arthemidorum quoq; pugnant, qui sibi innumerabiles finxit stellas, per occultū vagantes

gantes, aut ob circulorum situm, aut propter luminis obscuritatem, nobis ignotas, quarum aliquæ si fortè cum fixis lumen suum miscerent, & maiorem, quam solent, splendorem porrigerent, Cometam fingerent; nam & captum superat humanum, tot vagantia sidera in Cœlis haberi, quorum maximi coitus, paulo ante enumerati, Cometas producerent; quæ tamen ab Astrologis obseruata ne dum essent, verùm nec vllo vnquam tempore visa, nisi cum ad Co metem repræsentandum in vnum coiuerint.



Come-

Cometarum materiam Elementarem non rectè ab aliquibus positam esse.

Cap. IIII.

NVBEM autem inflãmatam Cometẽ ponere (bona venia dicam) Boëthi dementia eſt. Nã cũ humida ſit nubes,& aquea, minimè eſt ad incẽſionem accõmodata, quam,ſi in ſiccitatẽ conuerti velint, in exalationẽ alienigenæ naturæ ab ea nubis degenerare, fateantur, eſt opus: Neq; nubes ad ſuperiorem mundi plagam aſcendunt, argumento Montis Olympi, vbi cineres ex ſacrificijs relictos,in ſequentem annum ſeruatos, veteres grauiſsimi memoriæ prodiderunt. Audiendus pariter minus eſt Epigenes, qui vaporẽ in turbinibus eleuatum a ventorum contrarietate Cometam eſt arbitratus: nam turbines

nes breuiſsimo temporis ſpatio durant, & eodem modo vapor ille a terra ſubleuatus ſe haberet; namq; non amplius, flantibus ventis, alter non eleuaretur; vnde diu Cometa non exiſteret, cum tamen vltra annum perduraſſe a Ioſepho lib. 7. de Bello Iudaico, ſcribatur is, qui ſupra Hieroſolymam, gladij figuram referens, apparuit. Neq; vapor ob aqueum humidum inflammationem admittit, nec ſupremam illam pertingit regionem, ſed tantam ad ſecũdam vſq;aëris eleuatur,id quod apud Perſpectiuos notiſsimũ eſt: ex Vitellione enim 10.theor.60.demõſtratur,crepuſculis medijs vapores, nubium materiam, haud aſcendere ſecũdã ſupra aëris regionẽ:eleuãtur enim M.fere 49. quę faciũt miliaria 52.ſecundum verò Alfraganum, & Piccolomineum 73. miliarijs verò 263. eleuari vapores, vt arbitratur Cardanus, dum Vitellionem reprehendit, non vera ſcribit;


vere

vere verò, & doctè a Petro Surdo de Cometis parte prima castigatur, & Vitellio defenditur. (at hæc parerga dicta sint) Firma verò haud quaquam est alia opinio scribentium, ignei elementi densiorem factam particulam esse Crinitam Stellam in supremo loco: nam a frigore fiunt res densiores, vt glaciei exemplo patet apertè: ibi vero quomodo frigus, cum et ab ignis præsentia, & a continuo in gyrum raptu eius regionis, non admittatur. Mixtum verò perfectum fulgens, veluti carbunculus, nec est Cometes: nam in omni mixto perfecto terra prædominatur, ex Arist. lib. 2. de Gener. context. 49. Vel nisi terreum elemētum, neq; aër, neq; ignis adeo præualent, vt posſint ibi tam diu remanere; non ergo esset locus eius naturalis supremus, neq; a prædominio moueretur.

Come-

Cometam non esse permixtæ materiæ, sed Elementariæ.

Cap. V.



Cribere autem cum Stratone Lampasceno, lucem densa nube comprehensam esse Cometam; Vel cum Heraclide Pontico, nubem illustratam, nec tutum est: is enim, debellatis nubibus, sæpe sæpius conspicitur, Cœlo sereno; flãtibus ventis, indeterminatè vagaretur in varias Mundi plagas; neq; senis, totidemq; mensibus perduraret; neq; tot formarum, colorumq; speciebus esset refertus, sed vt Halo, cuius figura circularis, vel semicircularis tantum: multum autem in figura, & in alijs Halo à Cometa differt, vt fusè Philosophus

Metheor.

Metheor. primo. Nubium etiam naturæ in supremam aëreis regionem ascendere repugnat; in media namq; vertuntur in niuem, grandinem, pluuiam, &c. penès temporum, atq; earum materiæ varietatem. quod & altissimorũ cacumina montium, niue, pruinis, imbribus, ventisq; denudata, confirmant. Qui verò aiunt cũ Hipocrate Chyo, Cometam errãtium siderum vnum esse, quod Comam ex se non habeat, sed eam assumere ex aspectus nostri a vapore, quem illud attrahit ad Solem, reflexione; priores rationes refellunt, quibus demonstratum est, nullum ex errantibus esse Crinitum sidus; Et quòd supponant, visionem fieri per extramissionem, cuius contrarium fusè demonstrant Peripatetici; Et scribant, sidus illud errans non vbiq; Comam assumere, sed in Septentrionibus solum, cum Sol est in æstiua conuersione. Quod si ita

esset

esset, alicubi sine Coma fuisset visum, cum in singulis Cœli locis possit a Sole separari; quod tamen Astrologi (dicebat Arist.) haud obseruarunt. Et Comata illa Stella, Sole maior in Acaia apparuit versus occasum Aequinoctialem sub Zona torrida, æstiuo tempore, non in Septentrione. Affirmare verò cum Iulio Cæsare Scaligero, Cometam esse in summam aëris regionẽ fuligineum attractum fumum, qui non sit ardens, recipiens Solis radios, idcirco visibilis, & transmittens eos, atq; ideo caudatus, non tutum est. quare enim non ardet, cum neq; materiæ, neq; loco repugnet: rotatu assiduo trahatur, ac motus ne dum fumidã, & fuligineam materiam ignire, quæ suapte natura, & potestate proxima, ardens; æquè & appetit, & patitur se indui, ornari, ac informari igneis formis, quarum quidem seminarium est; verum etiam ligna

lapi-

lapides, & ferrum, ſit opus, vt Ariſtoteli placuit in lib. de Cœlo, cui alludens Iouianus Pontanus in Metheorol. ita ſcripſit.

Si ferro præfixa, & neruo impulſa ſagitta,
Aëra per vacuũ igneſcitq; ardetq; volãdo.

Quare etiam aſtra dum videntur, ob receptum a Sole lumen, non caudata omnia in luminis ad nos tranſmiſſione? caudati quoq; ſic omnes eſſent Cometæ; nec per fumidam, & fuliginеam materiam ad nos tranſmiſsi Solares radij rubicundos, & claros Cometarum colores, ſed atros, repræſentant. Qualis hic eſt videlicet, qui extra Zodiacum in Occidente propè Boothem nunc conſpicitur, deditq; nobis præſentem ſcribendi occaſionem. Quæ cum ita ſe habeant, quiſq; noſcat, quam periculoſum ſit, recedere ab Ariſtotelis doctrina, quæ ſola, cum omnes habeat veritatis numeros

ros, superest de Cometarum materia perpendenda. Dicamus igitur, Cometarum materiam esse calidam, & siccam exalationem, mediocrem, sulphureæ pinguedinis, & bituminosæ haud expertem. Priorem conditionem, nimirum esse calidæ, & siccæ naturæ, demonstrat a signo Philosophus, & a concomitãtibus Crinitarum ortum; eo enim tempore regionibus, Crinitis Stellis subiectis, anni constitutio calidà est, sicca, ventosa; venti enim ab eadem calida, & sicca exalatione prodeunt. Inde versus

Crinitæ existunt multæ, feruentibus annis.

Altera ex eo demonstratur, quòd non adeo dẽsa esse debet, vt inflammationi repugnet; neq; adeo rara, & breuis, vt cito, veluti stupa, crematur ab igne: tunc enim generarentur aliæ impresſiones ignitæ, quę citò extinguuntur. debet igitur esse me-

esse mediocris inter tenuem, & crassam. Tertiam odor ignium, de Cœlo in terram delapsorum manifestè probat. Hæc eadem materia pro diuersitate regionis, figuræ, raritatis, densitatis, lentoris, crassitiei multitudinis, &c. Transuolantia sidera, Igneas trabes, Dracones volantes, Capras saltantes, aliaq; ignita Metheora gignit. Equidem Arist. apertè docet, inter Stellarum traiectiones, & Cometas nullum aliud hac quidem in parte discrimen existere, quam quod in istis materia in longum exporrecta, tenuis admodum, & dissipatu facilis est, & ob id ignem accensa propter crassitiē, & densitatem retinet; Sicut vero in puluere bombardario in longum sparso cum ab vno capite flammam accepit, eadem celeriter ad alterum caput nullibi consistens transuertit propter materiam inflammatu, & dissipatu habilem, ita fermè n discurrentibus Stellis contingit.

In Cometis nequaquam, cum eorum materia multò densior, crassior, copiosior existat, seu magis lenta, vel viscida, vt scribebat Alex. & Iacobus Milichius in Commentarijs Plinij lib. 2. cap. 25. ab Alex. accipiens, idem confirmat. Quò fit, vt aliquot sæpe mēsibus ardeat, suppeditata etiam exalatione noua, quæ continuè scandens in locum primæ, eius, quod erat absumptum, supplet. Vnde Poëta

Apta alimenta sibi dimissus corripit ignis,
Materiamq; sui deprendit flamma rapacē.

Conscendit verò tenuitate substantiæ, similitudine qualitatum, adiuuāte incenso Cometa, qui ascensum fouet attrahendo, cum a calore, vacuo, & a simili fiat attractio. Hæc de materia, quibus priorem propositæ definitionis partem non solum me declarasse, verùm abundè demonstrasse, puto. Quæ verò hic

obijci mihi poſſe ſentio, diſſoluam aptiori loco, vbi de loco Crinitarum tractabimus, & problemata enodabimus. Ad Cometarum formam noſtra ſe vertat oratio, quæ cum è materiæ gremio educatur, caueat ſibi Antonius Mizzaldus, dum primo Cometographiæ 14. Cometarum perquirens naturam, quæ tantum propriè de materia, & forma dicitur, vt in Phyſicis demonſtrauit Ariſt. Cœleſtes, & Elementares dici poſſe, autumat. Forma enim, & materia in Cometis vndequaq; Elementaris, & per cõſequens iſtiuſmodi vera natura. Neq; confugiat ad particularem Cœlorum virtutem, a qua excitantur Cometæ, qui (vt inquit) ſuorum Planetarum greſſum ſequuntur, & eorum indiuidua ſignificata nobis ob oculos ponunt, & motum multiplicem ab omni materiæ ratione prorſus alienum, modulantur: horum enim nullum, neq; verum, neq; veriſimile

de-

demonstrabimus esse; subtilius tamen dicere liceret, Cœlestes dici posse Cometas, Poëtarum, & Medicorum consensu, qui aërem, in cuius regionis loco summo Crinitæ generantur, quãdoq; Cœlum, Aetherem nominare, non dedignantur, aut formas singulas Diuinæ, seu Cœlestis naturæ esse participes magis, minusuè, prout dant esse his, quæ sunt, vel habent ab eo, quod cunctis perfectionem elargitur.



De forma Cometarum.

Cap. VI.

FORMARVM aliæ substantiales, aliæ accidentales. Priores mẽte comprehendũtur. Posteriores sensibus dignoscũtur. Vtræq; in præsentia veniunt in Cometarum considerationem; quorum forma substantialis nulla certè præter eam ignis non quidem Elementaris, sed eius, qui propè nos. Est enim mixtum Cometa, & licet imperfectum, tamen eiusmodi, vt purioris ignis rationem non habeat, cum ardeat, vrat, luceat, depascatur, neq; momento maneat sine pabulo. quorum nullum elementario igni conuenit. Caueant igitur, qui ignẽ hunc nostrum, elementarem condensatum eiusdem speciei, cum Scaligero,

ligero, dicunt. Quòd verò id, quod dat esse Cometæ, ignis sit, facile demõstratur; quia igne in eius natura extincto, nullũ esse Cometa habebit, nec Cometes erit amplius; immo neq; ante formę ignis aduētum eiusmodi quippiam erat, sed tantum exalatio oleaginosa, calida, & sicca. Erit igitur ignis vera Cometarum forma, flamma enim sunt, quæ spiritus sicci feruor est, vt Arist. ait lib. 1. Metheor. cap. 1. Accidentariæ verò Cometarum formæ a figura, coloribus, loco, magnitudine, tempore, motu, & accidentalibus multis differentijs, finitis terminis haud constringi posse, credo; cum accidentia in infinitum variari queant, vt norunt Philosophi. Quibus tamen cancellis eas constringere conati sunt historiarum Scriptores, Astronomi, Naturales Philosophi, videndum est; atq; differentias, & Cometarum species varias propterea aggrediemur.

Priores igitur (auctore Plinio) Cometas decẽ obseruarunt. Primus est, qui Κομήτης ꝓpriè græce, & Comã habet circũcirca. Alter Πωγωνίας, seu Barbatus, cum in vnam tantum partem crines feruntur. Alius Ακόντιας græcè, Iaculũ latinè. Quartus ζιφίας, vel ζίφιος grçcè, latinè Gladius, ẽsis. Quintus, qui aureo colore nitet, Χρύσεος grçcè, Aureus latinè. Sextus Κερατίας, seu Κερατώδης, instar Cornu, nã Κέρας grçcis Cornu est. Septimus Λαλός, Δαός, & Δαΐς græcè, Lampus latinè, Torris, Fax. Octauus Ιππεὺς grçcẽ, latinè Equinus, in equi formam, qui dicitur a Græcis Ιππος. Nonus Ανθρωπώδης, quia hominis formam præfingit. Decimus Αιγὶς græcè, latinè Capra, vel Caper saltans a crinibus, & velleribus, & motibus dictus. Has igitur Cometarum species obseruatione adinuentas, referunt historiarum Scriptores, neq; plures, neq; pauciores: quibus certè, qui sapiunt, ne subscribant; nam hæ, seu a dif-

a differentijs accidentalibus, seu a coloribus desumantur, non sufficiũt, cum longè plurima sint colorum, & accidentium Cometarum genera. Si confugiãt ad locũ, pauciores ponãt, est opus. Si se vertant ad figuras simplices, duos tãtum Cometas cognoscent; nã circularis, & recta tantũ est simplex figurarũ species. Si ad mixtas, quot earum species cõstituit Euclides, tot Cometas ponẽt. Quò igitur se vertant Historici, nõ habent.

Astronomi verò iuxtà nouem Planetarũ in signis Cœlestibus, quas vocãt exaltationes, totidẽ confinxerũt Cometarũ species. Prima generatur (inquiũt) in parte exaltationis Lunę, quę Argẽtũ vocatur, habẽs pulcherrimũ radiũ, instar purissimi argenti, adeo vt vix cõspici possit. Altera in ea Mercurij, versicolor, parua, clara, ac varia multorũ crinium, & Dominus Asconæ dicitur. Tertia in ea Veneris, & dicitur Miles, Cometa magnus, Lunæ figurã subiẽs crines, &

 radios

radios retro fundens, 12.ſigna percurrit. Quarta in ea Solis habens humanum vultum, quæ Roſa vocatur, ex eo quia color eius ex auro, & argento commixtus eſt. Quinta in parte exaltationis Martis, caput deorſum declinans, caput ſurſum extollens, & inde Aurora dicitur. Seſta in ea Iouis, quæ cum erecta, ſuper igneam baſem conſpiciatur, Columna, & Tenaculum appellatur. Septima in ea Saturni, eſtq; vndequaq; ſine cauda, cerulea, & propterea Nigrum vocatur. Octaua in exaltatione capitis Draconis, vt Draco ardens, Pertica vocata, cũ ſit figuræ oblongæ. Nona in ea Caudæ, perſimilis Perticæ aſpectu, horrida; & quoniam iuxta Solem decurrit, Veru dicitur. Quod quidem Aſtrologorum figmentum haud cõprobare poſſumus: tum, quia luminaria ſunt cauſæ vniuerſales Cometarum omnium ex Aſtrologis, vt infra patebit, nõ igitur particularium

cauſas

caufas effe dignãtur:tum quia, apud Aftrologorũ principem Pthólomæum,caput, & cauda Draconis nullius funt virtutis, funt enim fectiones tantum pro Lunæ motibus adinuentæ: tum quia fibi non conftant, dum fcribunt, a Marte, & Mercurio tantum fieri Cometas, quoniam volociter mouẽtur, & igneum quippiam præfeferunt: tum quia omnia, quæ in mundo extant, nouenario effent præfinita numero; nam eodẽ modo, quo a Planetis fiunt Cometæ, etiam alia, quæ in Mundo funt, fierent. Quibus addo, quòd fine methodo, & non ex generis diuifione fpecierum differentias tradiderũt,& quòd non particularia generalibus, fed generalia particularibus, quibufdã vifis Cometarũ fpeciebus,fubijcere voluerint;immo fi in his tantum locis fierent, in Leone,& Scorpione non apparerent Cometæ; immo neq; in Geminis, aut Sagittario, quãdoquidem inibi nullus exal-

tatur Planeta; cuius contrarium, Historiæ comprobant; & nos vidimus ardentem in 16. Sagittarij gradu Cometam anno 1605.

Philosophi verò neq; inter se conueniunt, nam Arist. (vt quibusdam placet) duas tantum posuit a figura simplici Cometarum species; priorem Crinitum circumquaq; & oblõgum Cometam; alterũ, qui Πωγονίας, & Barbatus dicitur: & quamuis hac in re Philosophus reprehendi nõ possit; tamen sicuti a figura, ita a colore, & a cet. erãt assignandæ differentiæ, & species; quæ cum desiderentur ab eo, & mancus, & diminutus videtur. Quam rationem nec ij euacuant, qui tres species Arist. posuisse, cõtendũt, Κομήτην, Πωγωνίαν, Ὁδόν; seu Crinitã, Barbatam, Viam, seu Saltũ, vt Latini trãstulerunt. Qui post eum floruere, quinq; posuere pro elementorum numero; inquiunt enim, hæc esse elementa, Cœlum, Ignẽ, Aërem, Aquã, Terram; igitur quinq; Cometę. Bone


Deus

Deus, quæ consequētia? Sic.n.argumētādo, omnia essent quinq; Præterea cur Cœlum inter elemēta? Quid Aqua cum Cometis? Cū igitur harū opinionū nulla sit a nobis recipienda, quid sentiendum, aperiemus. Arbitror igitur, Cometarū formas, differentias, & species accidentarias esse desumēdas eo modo, quo supra explicatū est. Verum quamuis variæ Cometarū species fieri posint, suis nominibus non designatæ; sentimus tamē cū Thurrecensi Physico eruditisimo tract. de Cometis 1.& 7. ca. duo esse Cometarū genera obseruata; quorū vnū circūquaq; comas habet, quatuorq; sub sese cōprehendit species, notas hucusq; Sunt autem Rosa, Veru, Pertica, Tenaculum, & hi propriè Κομῆται vocantur. Alterum verò radios in longum protensos possidet, cuius sunt quinq; species, Cornu, Nubes, Argentum, Aurora, vel Matutinus, Niger, qui propriè Πωγωνίαι dicuntur:

ab Haly verò priores quatuor Capillorum Domini: Posteriores quinq; Terræ Domini vocantur. At cum inter locum ex vna, & materiam, & formam ex altera multus sit consensus, ex Aristotele in Physicis, de Cometarum loco dicamus.

De Cometarum loco.

Cap. VII.



OMETARVM locus non Cœlestis, vt multi cum Cardano existimarunt, quemadmodum ijs argumentis a nobis demonstratum est, quibus supra probauimus, eorum materiam haud esse Aethercam. Elementaris igitur, non in terræ, & aquæ regione, vt luce clarius patet; Neq; in aëris prima ascendendo (est enim semper inconstans, varijs, atq; contrarijs

alte-

alterationibus subiacens) Neq; in media ob summã eius frigiditatem; nam per Solem super terram expellitur frigiditas vi reflexionis radiorum, refugit ad mediam, cum illuc reflexio radij non perueniat, ibi remanet, nec sursum ad aliam regionem ascendit, quoniam est calidior, cum sit igni, stellisq; propinquior, & contrarium aufugiat. Neq; in ea ignis; quamuis cõtrarium Viri, alioquin grauissimi inter recentiores, sibi persuaserint: nam ob ignem materia non ascendit, cum sit eo crassior, vel si ascenderet, adeo rara ab igne fieret, vt Crinitæ generãdæ nõ esset apta; vel si generaretur, non diu consisteret (celerrimo enim illo in orbem motu cito dissolueretur, & esset, veluti transuolantia sidera, quę citissimè transeunt) Igitur in suprema aëris regione (quam natura substantiæ tenuitate exalationibus simillimum fecit locum, ac receptaculum) in duas diuisa partes. Prior


ab altiſsimorum montium cacuminibus ad mediam. Quæ ad concauã ignis ei perſimilis in qualitatibus ſecunda; Et in vtraq; fiunt Crinita ſidera. In prima a denſiori,& grauiori materia tardioris motus, quãdoq; immobilia. In altera a leuiori,& rariori ſubiecto celerioris orbiculationis,& motus. Quòd ſi rationẽ etiam quęras, quare pars ſuperior aëris velocius, inferior autẽ tardius moueatur;ea mihi in promptu eſt.Superior illa regio rarior, ideoq; mobilior,& propterea Cœli motũ ſequitur.Inferior autẽ denſior,ideoq;tardior. Hinc fit, vt relinquatur, & a Cœli celeritate recedat.At dices;cõtinuorum idem eſt motus; ignis aëri, cuius vna pars alteri continuatur, idem igitur motus. In ſolidis id intelligendum ſcias,quorum vnus propriè motus eſt;aqua,aër, flãma, exalatio, & conſimilia, non huiuſmodi, ſed fluxa ſunt. Dignoſces etiã loca eo modo:nam in ſuperiori Co-
mata

mata Stella ob nimiam distantiam videtur alicui astro coniuncta, nec facilè est homini, linceos oculos non habenti secernere, & distinguere lumen astri ab eo Cometæ, neq; distãtiam: id verò non contingit, si ea in parte Cometa, quæ a montium eorũ summitatibus sphæram ignis nõ contangit, sed in medio quasi eius regionis sinu desinit, quiescit. Ceterùm potius extra, quam intra Tropicos, Cometæ cernuntur; etenim quamuis a Sole intra Tropicos peragrante non modica eleuetur exalatio, tamen calore nimio sæpius resoluitur, adeo vt Crinitarum generationi materia deficiat. Hæc de loco, quæ licèt verissima, non carent tamen reprehensoribus, quibus modò satisfaciendum.



Responsiones ad obiecta de loco.

Cap. VIII.



BIICIVNT, Primo Cardanus, & alij, quòd Cometa non fiat in Elementari regione; nam haberet, si in ea fieret, maiorem, quam Luna, diuersitatem (fertur enim motu Veneris propemodum) Secundo. Est etiam ea regio sēper inconstans, vbi & ascenderet ob ignem, & descenderet propter vapores, si ignis esset ex vaporibus accensus. Quod argumentum facit etiam contra Crinitarum materiã. Tertio. Nec triplici motu moueretur, in Occasum, in Ortum, in latera. Quarto, & Quinto. Tam etiam ingens machina adeo celeriter conuersa, quin dissiparetur, fieri non posset. Et tanto incendio

vniuersa terra neq; sufficeret pro pabulo. Sexto. Neq; viderentur a nobis ij, qui sub Aequinoctiali in ea versantur regione, Cometæ; quorum & aliqui quãdoq;immobiles, & alij ante occasum occiderent, id quod hucusq;non visum est. Octauo. Deliquia etiam paterentur Crinitæ Stellæ, Luna frequentius, cum ipsius terræ vmbram magis ingrediantur ob minorem a nobis recessum, si in regione elementari. Tandem. Terrarum orbi incendia minitarentur. Quæ quidem argumenta ijs similia sunt, de quibus dicere solebat D. Augustinus, quod fulgent subtilitate, & vanitate franguntur. Nam quod obijcitur, Cometem Luna minorem habere diuersitatem, negari potest; cũ visa Crinita Stella 1578. varietates quasdam habuerit cum Luna communes; immo ipsemet Cardanus affirmat, maximum eos, ac citissimum habere incrementum, cum in prin-


principio vnius pedis non excedant magnitudinem, paucis post diebus ad gradus vsq; 45. augeantur: neq; eadem ratio de Cometis, & Luna; Nam hæc cum varijs modis a Sole illustretur (ex se enim vel nullum, vel debile lumen habet) varijs etiam subijcitur varietatum generibus; quibus non illi subiacent, cum neq; a Sole illuminentur, neq; cum Sole, & Luna communicent in materia. Mitto, quod minorem habeãt, quàm Luna, diuersitatẽ, vt quibusdã placet; propterea quod siderũ auctorum subsequuntur naturam, & motum. Atq, ita satis, superq; priori argemento me satisfecisse, puto; quod iuniores a Cardano mutuo se accepisse, putãt; cum tamen actione prima lib. de subt. resp. 79. profiteatur Cardanus, se nullibi affirmasse, minorem esse diuersitatem Cometæ, quam Lunæ. Quod obijciunt de regionis inconstantia, nihil probat, nam falsum supponitur; superiorem

periorem enim aëris regionem tranquillam semper ab imbribus, a ventis, & ab alijs quietam posuere, qui recte sentiunt. De motu sursum, atq; deorsum teneret argumentum, si ex vaporibus Cometa (vt quidam volunt) quem tamen constat, ab exalationibus genitum. Subtilius tamen responderi posse, puto, vel Cometam a Sole sustineri, tamquam eius parentem, eodem modo, quo nubes suspenduntur; nam eadem potestate quidpiam attrahi, & retineri dicimus, cum attractionis finis sit ipsa retentio: vel sursum non ascendere, cum eius materia sit leuior ignis elementaris, non descendere ab aëris impuris secunda, & prima propè nos regionibus, superatum relatiua grauitate, si ita loqui liceat. Si qui verò fuerint istiusmodi motibus agitati Cometæ, infra declarabitur, proprio de eorũ motu Capite; vbi & aliud de motu

co-

eorumdem trino, & præſertim tranſuerſo, ponderabitur argumentum. Motus verò celeritatem, ad diſsipãdum adeo facilem non admittimus: nam velociſsimi illi in gyrum motus ſuperiorum orbium nobis ſunt veluti vita quædam; & lucernæ liquor eodem agitatæ motu, non decidit, cum tamẽ ſuapte natura decideret; ad fouendum itaq; potius, quam diſsipandum motus celeritas dicata. Ratio, quæ ſequitur de Cometarum pabulo, facile ſoluitur; noua enim in locum deperditæ ſuccedente exalatione fouetur incenſio: quod ſi arte, æterna luminaria modico pabulo, & lampades perpetuò incenſæ, vt ſcribitur, Cur & non eadem natura, cum artem ſuperet? De vi attractrice, & mandante, & modo infra, vbi de Efficiente. Poſtremo argumento proxima tenerent, ſi a vapore Cometas, ab exalatione nequaquam; quamuis quoſdam viſos immobiles, Seneca, &

Plinius ſcribant. Cometarum Eclypſes confitemur ea ratione moti, non obſeruatas, negamus. At demus hoc, non repugnat; nam rarò fiunt, rariſsimè vmbram terræ ingrediuntur. Poſtremo tantum incendium perniciem vniuerſo minitari non veremur, cui enim adhæreat, haud habet; aëris humiditas, & raritas, natura vniuerſi id prohibet: calorem quandoq; tamen intollerabilem accēdunt Crinitæ Stellæ, & aerē mundum propterea reddunt a varijs inquinamentis, atq; ita vltima ratio extincta planè eſt. Hactenus de loco. Mox de efficiente.



De

De Efficiente.

Cap. IX.

DIxeram, effectricē causam esse vim igneā. At, quæ nam sit ista uis, vidēdū modò, tū proxima, tum remota. Proxima igitur est duplex in specie, motus videlicet tū exalationis, tū superioris aëris in gyrū celerrimus, qui attritu suo nō solum aridos illos halitus Cometarum materiam incendere, verùm & ligna, lapides, ferrum suapte natura ignire aptissimus est: & ignis particula, ab elemēto suo in summā sibi cōtinuā aëris regionē delapsa, vel ab vniuersi natura demandata, quæ nec adeo minima, vt ab exalationis copia extinguatur, vt lucernæ lumē ab olei multitudine; nec adeo copiosa, vt citò resoluat, dissipet, cōburat materiam; sed mediocris, proportionem ta-

tamē maioris cuiusdam inæqualitatis habens. Huc faciunt elegantes illi Pōtani versus in suis Metheorologicis, cap. de Stellis cadentibus, q̄uos describere graue non erit

Ast ubi summotosq́; locos, atq́; aëra summū
Halitus inuasit, qua circumuoluitur orbi:
Hic rapido ĩpulsus cursu, vertigine et ipsa
Incensus, varia splendet per inane figura:
Arida concipiunt ignem, feruetq́; agitando
Spiritus; incendit pugnātia corpora motus.

Remota verò, quæ halitū suppeditat, eleuat nō solū astra, & Sol præsertim, qui maiori inter alia energia materiā euocat, verū multo magis ignis in terræ visceribus conclusus, qui eodē ferè modo subterranea mouet, alterat, coquit, extenuat, mutat, & in fumigeram exalationē vertit, quo calor animalium in visceribus latens intus facit. Vnde eleganter Marcus Manilius lib. 1. Astron. cap. 14. cecinit prope finem.

Sunt

Sunt autẽ cunctis permixti partibus ignes,
Qui grauidas habitant fabricãtes fulmina nubes,
Et penetrãt terras, Aethnãq; imitãt Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus vndas,
Ac silice in dura, viridiq; in cortice sedem,
Inueniunt, cum silua sibi collisa crematur,
Ignibus vsq; adeo Natura est õnis abũdãs.

Has verò causas non sat esse, existimauit Epigenes, sed ventum addidit: aberrauit tamen toto Cœlo; nã sine vento numquam orirentur Cometæ, cum eò caderent, & crescerent, eòq; essent ardentiores, quo ille incitatior, & in sublimem illum Cometarum locum perueniret: quæ tamen omnia falsa esse, si quis neget, elleboro potius est purgandus, quàm docendus. Astrologi verò alias confinxerunt; nam (inquiunt) existente Sole, semper super terram exalationem euocante, & calore subter-

ſubterraneo mandante, itidem quotidie motu accendente; quare non ſemper Cometæ varij, vel ſaltem vnus, qui nunquam deficiat? At argumentum prius, quod eſt potiſſimum eorum in nos fundamentum, diruamus; poſtea placita ponderabimus. Reſpondemus igitur, non tantam eleuatæ exalationis copiam coaceruari, quanta ſufficeret æterno Cometæ, vel pluribus, & frequentioribus; quoniam bona eius pars in ventos, tonitrua, & tranſuolantia ſidera vertitur; luminum etiam, & motus Solis varietas, caloriſq; ſubterranei, actionum varij modi aliter, & aliter eleuant, attrahunt, alterant, diſponunt, calefaciunt, incendunt, viq; diuerſa regunt, atq; gubernãt fumigeræ aſpirationis œconomiam. Solis etiam, & ſiderum calor, & motus, non ſolum exalationem ſecernit, ſed id etiam, quod concretum eſt, qualis materia eſſe ſolet Crinitis generãdis

accomodata, dissipat adeo, vt Cometarum procreationi materia raro remaneat. Mitto verò, quod exalationis magna copia in locum lactei circuli ad eius generationem cogatur (vt Aristoteles sentit) nam eius sententiam hac in re valde dubiam, & parum firmam putant etiam ipsiusmet Interpretes. Astrologorum modò sententias varias perpendamus. Albumasar, cui Arabum schola tota subscribit, octauo de Coniunctionibus magnis, & Haly parte octaua de reuolutionibus annorum, Cometarum originem Marti adscripserunt, non quidem absolutè, sed quoties ijs præest ãnis, quibus Planetarum trium superiorum coniunctiones contingunt; vel hæ cõiunctiones nisi fiant, fieri tamen Cometæ poterunt, quando & Mars aërea, vel terrea signa irradiabit, & Luna aëreo erit lacessita signo, præsertim vbi Iouis signo præsit. Alibi verò, nimirum de floribus lib. Mar-

tem

tem ponit Cometarum auctorem, Saturno coniunctum, vel opposito vultu eum respicientem, præsertim verò si cum cauda per signum vnum decurrat Saturnium sidus, vel hostiles emittat irradiationes. Hos certè canones, nulla ratione probatos, obseruatione Arabum roboratos, reijcere facilè erit: nam præter ea, quæ supra in Astrologos dicta sunt cap. 3. Anno a Natali Iesu 1564. eadem constellatio contigit, quã octauo coniunctionum ille descripsit: altera in libro de floribus enarrata euenit 1565. quibus tamen annis Cometam nullum apparuisse, ab historiarum Scriptoribus, & Cœlorum vigilantissimis exploratoribus memoriæ proditum est. Alij verò Crinitarum ortus in genere luminarium deliquijs dicant, in specie autẽ Marti, & Mercurio, retorridæ (vt aiunt) naturæ Planetis, quando eis in Eclyptico themate significationũ tribuitur auctoritas, cuius senten-

tiæ ſecundo de Aſtrorum iudicijs 54. Ptholomæum quidam fuiſſe putant, quod negant alij: ibi enim de Cometarum tantum effectibus eum fuiſſe loquutum, contendunt, de generatione nullibi. Quicquid tamen ſit, noſtra parum intereſt: ſcire ſat eſt, cōmunem, eamq; antiquam eſſe Aſtrologorum ſententiam, cui & Pontanus his verſiculis ſuffragatur in ſuis Metheorol. cap. de Cometis

Tu verò, quod decernit Mauortius ignis
Infælix Cœli ſidus, quod nuncius Arcas
Hoc dirū in primis ſtatuas ſignare Cometē.

Verum illis, ita dictitantibus, credere neq; cogimur, neque ratione vlla conſtringimur; nam Stellæ omnes ſunt cauſæ vniuerſales rerum omnium, & remotiſsimæ, proximis verò, & peculiaribus iſtiuſmodi, alijsq; facultatibus præditas eas negamus; ad habendam verò veram alicuius rei ſcientiam

pro-

proximæ, & immediatæ sunt assignandæ causæ: neq; ad futilem eorum confugiant obseruationem. Nam (vt alia prætercam, quæ hic adduci possent, exempla) Anno 1604. Eclypsim nullam passa sunt luminaria, attamen per multos dies exarsit Cometa Autumnalis; defectus quoq; Lunæ luminis, & Solis labores malim potiùs, vaporum parentes, quam fumigeræ exalationis genitores dicere cum Astrologis, qui (duce Auer.) lucem omnem posuere calidam: quapropter vis, & energia luminarium labefactata, alituosæ matris penetralia adire non poterit; neq; Crinitis materiam, sed imbribus potiùs vaporigeram suppeditabit. Si confugiant cum Mizzaldo ad Lunam sauciatam, maleque saltem affectam, non iacula effugiunt; eam enim amplè frigidorum, & humidorum familiæ dominatricem, non calidæ, siccæq; exalationi, quæ,


poteſtate flamma præſidem, cœleſtia tractantes, decreuerunt. Addas, cum ſpecialis, & præcipua cauſa ſit, vnde effectus emanat, & Aſtrologis ſolus Mars, & Mercurius ſint effectrices Cometarum cauſæ, hi ijs duo tantum erunt. Quemadmodum enim ab vno vnum, ita a duobus duo pendere, veriſimile eſt: Vnde ergo tam variæ, quas ponunt, Crinitarum ſpecies? At de efficiente ſatis. Ad Cometarum motum gradum faciamus, tum quia efficiens eſt principium, vnde motus; tum quia animæ expertia a generante moueri, octauo Phys. voluit Ariſt.



De

De Elementari Cometarum motu.

Cap. X.



NTER ea omnia, quæ de Cometis ſcribi ſolent, nulla ſanè difficilior quæſtio, quã quæ de motu: Nos tamen pro viribus rẽ claram facere conabimur. Ex ijs, quæ a Doctiſsimis, hac in re obſeruata, reperiuntur, non triplicem tantum eſſe Cometarum motum, vt Mizzaldus, Cardanus, & ante eos quamplurimi exiſtimarunt, ſed plures deputamus. Priorẽ ab Oriente in Occidentẽ, qualis eſt motus ardẽtis huius Cometæ Mẽſe Octobris præsẽtis anni 1607. Contra alterũ ab Occidente in Oriẽtẽ. Tertium diuerſum, veluti ab Occidẽte in Meridiem, aut a Septentrione in Occidentem, vel ab Occidente in Septentrionem. Quar-


tum sursum , deorsum. Quintum satis incertum , incostantem; sursum, deorsum; ad latera, antrorsum, & cet. Alios quoq; immobiles a Seneca, & Plinio visos, legimus, quorum omnium physicam rationem quisq; accipiat. Prioris causam esse superioris Cœli rapidam vertiginem, quæ horis quatuor & viginti citissima secum trahit non solum medias, ad vltimam vsque, sphæras; verum etiam ignem, & aëris partem supremam, qua mota, ibidem Crinitas pendulas citissimè conuerti, non sit, qui ambigat: quã quidem ab Oriente per Meridiem in Occasum Cometarum circumuolutationem, ex illorum propria natura esse, negamus; si quidem flamma, alioquin errabunda in aëre vago, & fluctuante, certam, & orbicularem agitationis formam ex se instituere, nisi ab alio iuuetur, certè nequit; quæ quo meliùs intelligantur, sciant, æqua celeritate

Cœlum,

Cœlum, ignem, & superioris aëris regionem primam cieri magnitudinis proportione, quod perinde est, ac si diceremus, ad idem punctum, vnde abierunt, æquali tempore regredi. At quoniam in infera eius regionis parte, quæ tardioris est motus, a grauiori materia & fiunt quoque, & ob remotionem a Cœlo Cometæ derelinquuntur a firmamenti motu celerrimo, adeo vt ab Occidente penes signorum successionem in Orientem moueri videantur; quamuis re uera non sit ita, atq; adeo falsa, visu facta, obseruatio sæpe nos decipit; quo modo quiescentibus in naui, & littora intuentibus, non flumen, aut quæ in eo est, nauis, sed ipsa moueri littora videntur; licèt non littora, sed nauis, & flumen moueantur: ita etiā quāuis moueri Cometa videatur in Orientē versus; tamen rapidissimè in Occidentē cū ferātur a firmamēto Stellæ, & post se derelinquant ea, quibus


multa interualli magnitudine diſtãt, Cometas in cõtrariam partem abire, putamus. In altera verò moti, conuerſiq; Cometæ viſi certè, vt de ijs ſcribitur, qui Claudij, ac Neronis temporibus exarſerunt, nõ quod re vera ita mouerentur, ſed (vt ab Ariſt. de diſcurrentibus aſtris dictum eſt) fumigera exalatio, ad flammam concipiendam parata, ea erat in parte, ad quam iter tendere videbantur, eaq; priori, ob raritatem forſan, & pabuli defectionem extincta, ſubinde accendebatur, & Crinitæ, ſe ita mouentis ſpeciem fingebat. Inuitante ergo materia, & alimento, nõ itinere, ad latera quandoq; deflexerunt Cometæ: et ob eandem rationem non aſtris, ſimpathia alligatis, ſurſum, deorſum, in varias mundi partes, incerto admodum, irregulariq; motu, iter quandoq; fecere, non verò a ventis in ſummo aëre huc, illucq; debellantibus, impulſi, vt ineptè ſunt qui-
dam

dam arbitrati, qui prima Metheorologicæ philosophiæ principia non dum degustasse, mihi videntur. Immobiles verò a Seneca, & Plinio obseruatos, non simpliciter concederem, sed eos ad motum tardissimos ita videri, putarem, quorum tarditas cum a graui, densaq; materia, ex qua constant, ad motum inepta, tum ex aëris humiliori loco, in quo fiunt, motus tarditate natale trahebant. Cum igitur hæ, quæ nuper a nobis in medium allatæ sunt causæ, satis, superq; sint ad Cometarum varium motum efficiendum, & saluandum; nulla nos cogit necessitas, vt a veris Physicæ penetralibus recedentes, quid sit Crinitarum motus super elementarem naturam, affirmemus.



De altero ab Elementari Cometarum motu.

Cap. XI.



ETERVM quoniam Ariſtoteles non negauit, aliquãdo ad motum Stellæ errantis, vel fixæ, veluti ſimpathia quadam, colligatum moueri Cometem (cui tamen alligatur rarò) propterea neq; nos id negamus in præſentia : ſideribus ergo vinculo quodam detentos Cometas hinc dignoſces, quando cum ijſdem mouentur, oriuntur, occidunt, circumaguntur; vnde tantæ celeritatis erunt, quantæ auctor ſidus, cuius naturam, & motum ſubſequuntur. Transuerſi etiam, varijq; motus ratio eadem eſt cum attractionis ratione in ijs Cometis, qui

qui quandoq; a sideribus materia, sursum ab ima regione nostra attracta, compacta, librata, formata, sunt orti: Etenim ex difformi materia cōflata Crinita, a validiore sidere sublata, vbi pars affinis illius substantiæ absumpta est, ab alio trahitur, cuius viribus obnoxia est ea mixti pars, quæ relicta fuerit; atq; ita rationem habeas motus quorumdā Cometarū, qui miri aliquibus sunt visi; neq; orbē sub Luna ponere cogimur, pro eo motu Cometarum in latus saluādo, vt Hieronymus Fracastorius, vir alioquin eruditissimus, fuisse opus, existimauit: neq; in ijs ad rationes pabuli confugimus, & rationes supra cap. 8. allatæ, facilè soluūtur, in Elementariam Cometarum naturā, per ea, quæ modò diximus. Exemplū vnicū recēsere lubet, desumptū ex Iacobi Ziglieri monumētis, qui ea a Ioānis Regiomontani obseruationibus desumpsit: series autem verborum, & obseruatio Regiomontani talis est.

Idibus

Idibus Ianuarij, Anno Domini millesimo quadricentesimo supra quintum, & septuagesimum, Visus est nobis Cometa sub Libra, cum Stellis Virginis, cuius caput tardi erat motus, donec propinquum esset Spicæ: nunc incedebat per crura Boothis versus eius sinistrã, a qua discedẽdo, die vno naturali portionẽ circuli magni 40. graduum descripsit; vbi cum esset in medio Cancri, maximè distabat ab orbe signorum sexaginta, septẽ gradibus, & tunc inter duos polos Zodiaci, & Aequinoctialis ibat vsq; ad intermedia pedum Cephæi; deinde per pectus Cassiopeiæ super Andromedæ ventrem. Post gradiendo per longitudinem Piscis septentrionalis, vbi valde remittebatur motus eius, propinquabat Zodiaco, transiens ipsum iuxtà medium Arietis, donec cum Stellis Ceti occasus heliacus illum nobis occultauit in timis diebus Februarij. Hoc motu suo proprio circuli magni portionem

nem descripsit, quo in Septentrionē, & cum hoc contra signorum successionem ferebatur a Libra in Arietē: in fine, & principio tardè mouebatur, in medio verò apparitionis velocissimè. Vno die ferè per quatuor signa a fine Virginis in pricipium, vsq; Geminorum. Cauda verò eius minus mobilis, continuè respiciendo Stellas Geminorum, eas circuibat, nunquam ab eis per totum apparitionis tempus deuians. Ideoq; in prima emersione ad Occidentem illam protēdebat; quoniã illic Stellæ Geminorum putabantur. In fine verò, Cometa sub Ariete locato, propter Solis vicinitatem non nisi in Occidente apparuit; Cauda Orientem versus protensa, quia in hoc situ Stellæ Geminorum ponebantur. In medio verò apparitionis Cauda vertebat ad meridiem: illic tunc erãt Stellæ Geminorũ, cõtingebatq; tũc nocte eadem, vt statim post Solis occasum cauda Orientem respice-

ret.

ret. Appropinquante medio noctis respexit Meridiem; post medium verò noctis Occidentem. Ante Solis exortum indicabat locum Septentrionis. Hæc Caudæ diuersitas in situ ex motu diurno oriebatur, qui semper est ex consequentia primi mobilis ab Oriente in Occidentem. Motu autem proprio extremitas Caudæ quãuis tardiùs, quàm Caput Cometæ; semper tamen etiam ad Occidentem contra signorum successionem describens parallelum a principio Libræ, vsq; ad medium Tauri mouebatur; Vadens sub pedibus Vlulantis per Vrsam maiorem, propinquãdo Perseo, per quem circa Pleiades ad Caudam Arietis ibat ferè in medio Tauri. Vnde patet, tam Caput, quàm Caudam Cometæ versus Occidentem, & nunquam versus Orientem iuisse non solum motu diurno, sed etiam proprio. Hactenus Regiomontanus. Huius quoq; Cometæ historiam dum scribit Antonius Miz-

Mizzaldus Monslucianus,non sibi cō stat, modò ad Annum 1475. suæ Cometographiæ cap.vlt.lib. 1.modò ad 1472. in Cometarū cathalogo eiusdem Cometæ visionem transferens. Ceterùm ex centenis Cometis vix vnum tam prodigiosi motus reperies; culpam non in rerum Cœlestium obseruatores reijcias cum Mizzaldo, quasi oscitanter ignoratione, & negligentia ducti, hæc obseruauerint, & pertractauerint, sed in longa post temporis interualla rarum euentum. Qui enim in alios inuehuntur, vt aliquid esse videantur, caueant, ne eorum Manes illud Horatianum iustè obijciant

Tu cū sis,quod ego,& fortassis nequior vltro
Insectère, velut melior, verbisq; decoris
Obuoluas vitium: Quid si me stultior, ipse
Quingentis empto drachmis deprenderis?

In quo vno manum postremam huic capiti admoueo,& ad Cometarum finem me confero.

De Cometarum fine.

Cap. XII.

SVNT, qui putant, Cometas casu, vel materiæ necessitate, tãtum genitos, omni carere fine, quorum vanitas inde deprehenditur, quod ab agente, & effectrice causa factos, satis fuerit a nobis demonstratũ ca. 9. Omne verò agẽs ob finem intentum agere, si quis est, qui neget, ab agente certè verberandus. Rerum etiam species, e quarum numero est vna Crinita, a casu, & materiæ necessitate nec generari, nec fieri possũt; nec Peripatetici admittunt. Reclamabit fortasse garrulus, speciei naturam in suis seruari indiuiduis, quibus corruptis, eius quicquam non remanet; rarò autem Cometæ fiunt, citiusq́, deficiunt.

Pro-

Profectò ita eft; fed nofcat is,eorum tunc naturam vigere, & tanquam domi habitare in fuis phyficis cau- fis, veluti rofa hyeme. Nos igitur, alia via incedentes, dicamus, Co- metæ finem effe conferuationem fpe- ciei ignis, quæ fit per eductionem è gremio exalationis fubiectæ eius formæ, a qua quidem forma, mate- ria combufta,refoluta,terra munda, indiuidua multarum fpecierum faci- lius feruantur, veluti rupto,& expur- gato apoftemate, vitam magis in- columen animalia viuunt; atq; ita perbelle prioribus verbis generatio- nis Cometæ, pofterioribus iam facti finem comprehendimus: ac tacitè etiam vniuerfi decus,& hominum fa- lutem indicamus, quæ ad eorum quoquo modo finem pofse reduci, haud negamus: quibus non conten- tenti Aftrologi, addunt, quod fint calamitatum noftrarum prænuncia variosq;eis adfcribunt effectus; quæ an vera,penfitanda diligenter; atq;

ita de Cometarũ effectibus, fineq; eorũ remotiori certũ sermonẽ habebimus.

Vtrum Cometæ bellorum, rixarum, tumultuum, & consimilium rerum physicæ causæ sint portentosæ.

Cap. XIII.

EX eorũ numero, qui docti videri volũt, sũt, q. Crinitas faciũt physicas eo modo & bellorum, & rixarum causas: nam, inquiunt cũ Galeno, Animorum motus corporis sequuntur temperaturam, & contra; vnde eorum motus tales esse cõsueuerunt, quales humores in humanis corporibus luxuriantes, qui, vti corpus perturbant; ita exagitãt animos: Cometas verò aëris caliditatem, & siccitatem efficere cũ Aristotele non est, qui neget; eum autem, velimus, nolimus, cõtinuè inspiramus per poros,

os,veluti per quosdam naturæ du-
ctus, intus attrahimus, eiq; permix-
æ,calidæ,siccæq;exalationi,quæ sur-
um pro fouendis Cometarum incē-
ijs affatim ascendit, transitus de-
egari non potest; vnde æstuantis
aturæ vestigia in humorum œcono-
niam imprimuntur, qui calefacti,
coctí, in bilem conuersi, ad simi-
m intemperiem alterant corpora,
agitant spiritus,incitant animos,
que adeo ad violentos impetus,
decores, & effrenes rixas, cædes
pinas, ciuiles tumultus, bella, &
ius farinæ pessima seminaria ho-
nes promouentur, quod & Luca-
s his carminibus cecinit

gnota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemq;polum flammis,Cœloq;volentes
bliquas per inane faces, crinemq;timendi
ideris,& terris minitantem bella Cometē,

;ita esse,innumeris historiarū cō-
bant exemplis, quæ Niphus ad
satie-

ſatietatem, Mizzaldus ad nauſeam refert. Verum vt vera fatear, qui ita ſcribunt, verboſiores potiùs mihi videntur, quam vera docere; quibus enim machinis efficiat ardens iſte halitus, vt armis concurrant homines ad mutuam cædem, non dum vidi, nec aliquid veriſimile fingi poteſt. In principibus enim ob aëris calidam, ſiccamq; conſtitutionem tantam coaceruari bilem, vt bellica meditentur, claſsicumq; ob id canere iubeant, & furor arma miniſtret, eſt facilè dictu, credibile nequaquam; quippe quia inter mortales facilius ſibi Principes, & Magnates ab æſtu præcauent, quam alij. Præterea in otio vitam traducentes, plus crudorum, quàm bilioſorum humorum copiam ſibi coaceruant. Bella quoq; non ſunt a natura, ſed a conſilio; neceſſarium verò non eſt, eos, qui a conſilijs ſunt Regibus, & Principibus, omnes eadem temperatura præditos eſſe. Præterquamquod

quod non minus plebei interse, quam Principes depugnarent; nec qui irascitur, mox etiam, abruptis prudentiæ frænis, bello, rixa, & contumelijs aggredi alios solet: Neq; imaginabile est, quomodo halitus, per aërem fusus, Principum mentes ad bella per se valeat incitare. nam hæc absq; longa deliberatione, & exacta omnium circumstantiarum consideratione, consultationeque nunquam, aut rarò suscipiuntur. Quàm porrò felices, ditesq; nos Medici essemus, si a bile dumtaxat, in Principibus, alijsq; hominibus coaceruata, bella, cædes, & istiusmodi tartarearum furiarum semina orirentur? pauculo enim Rhabarbaro, aut rosaceo soluente syrupo, tantam vniuersi perniciem & extinguererimus, & debellaremus, nam


Vtile propositũ est extinguere semina belli.

Non igitur hæc mala inde oriuntur, quod

quod corpora nostra nimis excalefacta, siccataque sint. At ex eo quia iniuriæ, inuidia, odium, ambitio, dominandi libido, auri sacra fames, huiusmodiq; illecebræ cupiditatum plurimæ animos defatigarunt, semper anxiarunt, cruciabunt imposterum; cum ad malum, quàm ad bonum, simus procliuiores. Idque facilè confirmari potest: nam Ecclesiastes cap. 15. dicit. Deus Optimus Maximus reliquit hominem, & posuit eum in manu consilij sui. Non igitur bella, legum mutationes, & alia, quæ fiunt a consilio, expectanda a Cometis. Lucanum verò, aliosq; Poëtas a male sanis Astrologis, vel a populari iudicio persuasos, ita cecinisse, credo, atque ita non plus eis, quam illis fidei adscribendum, censeo; nam diuinus Plato aiebat (& scite quidem) Sapienti viro suspectum esse debet, quicquid Vulgo vehementer arridere videbit. Obseruationes verò si admittamus, hanc certissi-

mam

simam regulam hic, & pro ijs, quæ imposterum dicenda sunt, teneamus. Non quicquid post aliud sequitur, ab eo, quod præcessit, efficitur: nisi enim ita esset, quicquid post nouiluniũ, exẽpli gratia, homines agunt, nouum Lunæ lumen perfecisset. Quod omnium, quæ fingi possunt, absurdissimum est. Id cum bene non intelligerent qui se Astrosophos profitentur, primum inscitiæ pedem in lapidem impegere.



Sint ne Cometæ Regum, Summorumque virorum, ac fæminarum interitus, pestiferorumq; morborum, Annonæ inopiæ, & consimilium causæ.

Cap. XIV.

EAdem, vel consimili ratione, a caliditate vel siccitate desumpta, persuadere conati sunt Astrologi, Magnatum mortes a Cometis causari; nam, inquiunt, ab ea constitutione corpora exiccari, inflammari, omninoq; grauiter affici, est opus, præsertim verò quæ inter cetera sunt debiliora, & delicatiora. Principes autem cibis odoraris, curis, vigilijs, otio, victus ratione praua, aëris iniurijs non perferendis confecti, citius læduntur, alijs. Vnde, biliosa in eis luxuriante

riante materia, massaque humorum inflammata, facilè ægrotant, & pereunt; huc facit Aristotelici Poëtæ versiculus de Crinita

Principibus lethum tu seditiosa minaris.

Contra vero probationes istas, quæ non habent in se omnes numeros veritatis, ea mihi iure pugnare videntur. A calida constitutione, siccaq; nō magis lædi Principes, summosque viros, alijs, constat, cum eorum plurimi, ne cunctos dicam, in otio viuant, gulæque sic indulgeant varijs obsoniorum generibus, vt frigidorum, crudorumque chimorum plus coaceruent, quàm calidorum, atq; siccorum humorum colligant; & propterea ab aëris calida, & sicca constitutione multo magis iuuari, quàm lædi eorum corpora, oportet. Inter mortales etiam nulli sunt, qui faciliùs, quàm Primates

aëris intemperati iniurias euitare posſint, aſtantibus aſsiduo Prophilacticis Medicis: Frigorum etiam, ſolariumque radiorum incommoda, veſtitu, ædificijs, rebusque alijs ſuperbiſsime aufugiunt: Naturarum quoque hæ quidem ad æſtatem, hæ verò ad hymem benè, maleuè ſe habent, dicebat Hip. lib. 3. Aphor. 2. Naturam ſumens pro temperatura non modo genuina, ſed etiam aſcititia, ſiue ratione ætatis, ſiue aëris, ſiue victus, ſiuè cuiusuis alterius conſuetudinis fuerit acquiſita. Quod ſanè dictum non minus Principibus, quàm plebeis, neque ineptè, accommodatur. Deniq; nō parum mihi parit admirationis, cur ſiccis temporibus potiùs Magnates, odoratis cibis cōfecti, quàm remiges, fabriferrarij, meſſores a meridiana tritura ſitibundi, allio, bulbis, cepis veſci conſueti, moriantur?

Has forſan rationes ex eorum familia non poſtremi nominis cœleſti-

umrerum Philosophi effugere conati sunt, scribendo, calidas, & siccas constitutiones insalubres, mortiferas esse, formidabilesque morbos, eosque pestiferos, parere, quorum radices æquè, lateque, & in Reges, & in populares homines diffunduntur, ac proinde æquè periclitantur. Verùm quoniam Summi viri interitus fama celebrior euadit, quàm cuiusuis plebei; ideo viso Cometæ potius Summorum virorum obitus, quàm infimorum adscribuntur. At ceciderunt in Scyllam, cupientes euitare Carybdim: nam pestiferi morbi non facilè sumpsere primordia a Magnatum palatijs, sed inopes pauperum casulas, sordidaque loca plerumque primo inuadunt. Hoc si quis negaret, cum ratione clara, & quotidiana experientia pugnaret. Addas, quod ab inquinato aëre se facilè custodire possunt Magnates, & re vera ita faciunt, dum aditum suspectis omnibus

negant, Bezoarticis, alijsq; opportunis remedijs se præmuniunt, ac fugam quoque sibi maturè consulunt. Neque verum est, siccas constitutiones, quas Crinitarum apparitiones prosequi non negant, morbosas, & pestiferas esse: nam Hipocrates eas cōparans cum humidioribus, salubriores vocat, adeo vt talis tempestas omnium ferè morborum expers, & saluberrima facilè dici posit. Quod si febres veneficæ in ea quandoq;contingant(vt aliquando Hipocrati placuit) admodum raræ sunt: nam hæ non nisi a superuulgari putredinis gradu fiunt, cuius impetum siccis refrangi, veluti contrarijs;tollique communis est Medicorum assensus, qui humiditatem agnouerunt putredinis matrem. Præterea quis tam vecors erit, qui non videat, ab igne Cometæ halitus absumi,aërem repurgari? quomodo verò non purior,quàm antea sit aër, post Cometæ extinctionem,

non

non dum agnoui, tanta halituum copia liberatus? Vnde quò Crinitæ lucidiores, diuturniores, maiores, eo magis aëris inquinamenta dissipabunt, quem purgabunt exactius. Deniq; nec in regionibus nostris, nec in alijs (quantum ex scriptis aliorum habere potui) intensa adeo siccitas, post Crinitam, subsequuta est vnquam, vt pestifera, & lethalis Magnis, infimisque fuerit hominibus. Accedant tandem historiarum testimonia: nã annos 1556. & 1558. calidos, siccos, maximeq; salubres fuisse, scribitur, in quibus & duo exarserunt Cometæ. Sed quid hic opus est verbis? ea aëris constitutio adeo sicca, vt maioris non sit memoriæ apud homines, non solum per totam Vmbriam, verum per Italiam vniuersam, cum a Mense Aprilis anni 1604. vsq; ad Februarium anni 1605. non quinquies fuerit aquis irrigata, & madefacta terra, nonne longe

saluberrima fuit ob summam aëris repurgationem? non inde petendas pestiferæ constitutionis, & Magnatum interitus causas, demonstrauit; sed aliunde, nimirum a vaporibus, halitibusque per aërem diffusis, a quibus nisi spolietur, medio Cometa, necessarium est, quod vel paruus admodum fuerit, vel breui admodum tempore durauerit, extinctus forsan ob contrarij halitus intempestiuam accessionem, atque perinde lethales morbos ingenerari, qui certè maiores, nisi a Cometæ flammæ præsidium aliquod contigisset; quemadmodum enim Hipocrates totã Græciã a peste ignibus arte curauit, ita prouidam Naturam, tamquam optimam medicatricem, aëris hisce ignibus, imminentibus malis mederi, existimandum puto. Quamquam de Principibus etiam scitè dicere possumus, quod sibi magnopere timent, quoties Crinitæ apparitionem, aut vident,

dent, aut audiunt; in vitæque discrimine tunc se putant esse constitutos: adeo inualuit vulgi opinio de portentosa in eos Cometæ apparitione, vt in quibusdam ex eis cõstans, quandoq; faciat, ex Poëta, apprehensio casum. namque spiritus tristis atterit ossa, cum nullus sit corporis affectus tantus (vt ait Galenus) quod vehementior animi affectionibus esse posset; vel permittente ita Domino: nam cap. vltimo Isaiæ ita legitur. Vnde & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant, adducam eis.

Annonæ verò penuriam, a Cometæ siccitate prodeuntem. (vt ille canit,

Tu steriles agros, & inania vota coloni

Siccus, & efferuens, dire Cometa, facis)

qui rectè sapiunt, ne admittant: etenim inde non tanta vnquam subsequuta humidi penuria, vt prorsus terra euaserit infœcunda, ceu ar-

bitratus est Aratus his carminibus

At si contigerit plures ardere Cometas,

Inualidas segetes torrebit siccior aër,

immo moderata siccitas ad frugum abundantiam summopere conducit: seminum namq; humidum magis compactum euadit, ac proinde efficacius germinat, viuificat, quemadmodum & in animalibus conspicere facile erit, quorum semina humidiora, infœcunda, testantur Medici, docuit experientia quotidie. Scitè igitur cecinit Poëta, nō a siccitate, sed a pluuia sterelitatē pendere

Infelix loliū, & steriles dominantur auenæ.

Si dicas, ab exalationibus, vnde Crinitæ fiunt, inquinari semina, infœcundaq; euadere, non tutus eris: nam hæ per Cometam resoluuntur, comburuntur; vnde is abundantiæ

potius

potius, quam sterilitatis causa: neq; tunc Cometa, sed eius causa materiaria penuriæ esset effectrix. Docuit tandem temporum omnium, experientia, licciores annos apud nos fœcundos potiùs, quam steriles extitisse; quod satis historiæ declarant, a quibus habui 1556. 1558. 1575. vt reliquos prætercam, quibus annis arsere Cometæ, siccior aëris constitutio inualuit, rerum frugalium fuisse vberrimos, hisque similis 1605. Non mirum igitur, terras, torridæ Zonę subiectas, vbi nunquam contingunt pluuiæ (vt scribitur) fertilissimas esse. Certò igitur certius est, Crinitas Stellas non esse causas effectrices naturales supra enumeratarum calamitatum, quod videns Arist. qui primo Metheor. omnia ad Crinitas pertinentia diligentissimè persequutus est, nullum certè verbum fecit de

huiusmodi prænunciatione, nihilque tale a ceteris existimatum, docuit, adeo vt verisimile sit, anteactis illis scientiarum parentibus, summisque alijs viris, & felicissimis seculis nullam hac de re suspicionem quidem, aut apud ipsum, aut apud ceteros extitisse: scripsisset autem, si vera, aut verisimilia, probabiliaque fuissent, cum ad naturalem Philosophum sanitatis, ægritudinis, vitæ, mortis, penuriæ, & consimilium causæ pertineant: Sit igitur potius inanis quædam vulgi opinio, inanē timorem coniunctum habens, quam vero Philosopho digna sententia, Crinitas earum esse calamitatum causas. At statim audio Astrologum vocitantem, eas potestates, & vires habere Cometam a genitoribus suis supercœlestibus; ideo an id sit verum, modò videamus: nam diuinus Plato lib. de Sanctitate admonet, nos non debere omnibus, quæ dicuntur, assentiri, sed opor-

tere

tere considerare, an in se veritatem habeant, nec ne.

Cometas supra enumeratorum malorum, vi cœlitus influxa, effectrices causas dici non posse.

Cap. XV.

FAMOSA quorumdam est Astrologorum sententia, Crinitas esse tot supra enumeratorum malorũ effectrices causas, accipientes potestatem ab eo sidere, a quo eorum materia fuerit attracta, recta, & gubernata, adeo vt a suis Planetis, & Stellis, tamquam a veris emissoribus, ac genitoribus, non degenerent in producendis effectis; sed paratę sint, præstare omnia, quæ sępiterni illi ignes, abdita via; cœcoque spiritu in miseros mortales eiaculant: pro quorum

rum omnium exemplo historiam descripti Cometæ ab Haly HebenRodan, vetustissimo Ptholomęi interprete, sub finem secundi libri Quadrip. in medium affero. Apparuit nobis, (inquit) Cometa ingens, cuius pars solida erat, rotundæ figuræ, triploque maior Venere, cuius claritate totus Orbis illustrabatur, eratque lux eius, quantum, si quarta pars Lunę luceret, fuit in quinta decima parte Scorpij, mouebaturque motu primi mobilis ab Oriente in Occidentem, ita vt velocius procedendo, ferretur contra signorum ordinem, donec peruenit ad quintam decimam partem Virginis. Ab eo autem successit inter Mauros discordia maxima, prælia atrocissima, & cædes innumeræ cum magna Ciuium, & Ciuitatum depopulatione, ac luctu; & siccitas aëris, & annonæ penuria, indeque pestilentia maxima, vt mors tum peste,

tum bello fuerit innumerabilium hominum: surrexitque potens Hæreticus, siue Rebellis (nam vt Ioannes Leo scribit, Rebelles in Aphrica in titulo legis, seditiones mouent, ac populum ad se trahunt, dicentes, Maometem sic, & sic velle adorari, atque eo modo tyrannidem occupant, nulli crudelitatis generi parcentes, vt etiam filios ex viuentium matrum vtero extraherent) qui Regem Mechæ, & Hyetob maximis cladibus affecit. Hæc igitur Cometæ adscripsit Haly, qui eas vires a Cœlo habere existimauit; ad eaque Virgilius alludens, ait,

— *numquam Cœlo spectatum impune Cometem.*

Et alio Pontanus versiculo in Metheor. cap. de Cometis.

Et dirus quatit in terris iacula aspra Cometes.

Verùm

Verùm quam vana sit hæc prænunciatio, inde pateat; nam prætérquamquod.

Omnia sunt Stellis tenui pendentia filo.

Astrologis, ita voluntariè dictitantibus, absque ratione vlla credere, non tenemur; omnes Cometas, Comam, Barbam, eorumque Caudam certo alicui sideri esse appensas; nã & si id aliquando factum scribatur, plerumque tamen Cometæ per se consistunt, a sidere nullo reguntur; vt ex antea dictis planè liquet, quando demonstrauimus, halituum causam non esse sola sidera, sed multo magis calorem, in terræ visceribus cõclusum, qui subterranea mouet. Falsum est etiam, quod tanquam verum, & confessum sibi sumunt, sidus aliquod virtute hac præditũ, vt mortem Principis alicuius, vel bellum ex. g. efficere possit; nam Stellæ omnes sunt causę vniuersalissimę, sed

par-

particularibus istis facultatibus prę ditæ non sunt; si etiam talibus ornatæ fuissent, transfundere in res alias non possent, quemadmodum argumentis insolubilibus Picus demonstrauit in opere contra Astrologos. Quod si hoc illis daremus, nihilominus incertum maneret, an hanc suam virtutem per Cometam magis, quàm per alia exercerent. Item ab Aristotele, & ab Astrologis audiuimus, traiectiones Stellarum eamdem cum Cometis habere generationem: nisi quod istic materia, quam hic, est paucior, rarior, tenuior. An igitur quia Stellæ discurrentes metheora sunt minora, sic efficere inferiorum hominũ obitum dicemus, quomodo Crinitas Principum, & Magnatum interitum procreare, scribũt? Si affirmabimus, ridebimur; si negabimus, in Naturam, vel hic, vel illic iniurij sumus. Præterea & quid habeat Cometa, propter quod aëre, ac metheoris

theoris alijs ignitis aptior existimari possit, & habilior ad recipiendum istiusmodi influxum, non dum vidi: nam si materiam spectes, nihil inuenies: si flammam consideres, in vanũ laborabis. Addas, quid demostrationi ad hominẽ, iuxta Ptholomęi placita, respõdeant, nõ habẽt. Is enim verbo vltimo scribit. Et erit mors eorũ maximè subitanea; quasi dicat, Mors, quã Cometa causat, plerũq; est subitanea, Thurecẽsis physici tract. de Cometis c. 12. & aliorum interpretatione. Quis verò ad Cometarũ apparitiones vnquã Magnates subito mori, aut vidit, aut legit apud historiarũ Scriptores? His accedit, quod eædẽ Cometarum faustæ, & infaustæ essent apparitiones; nã Cometa, mortem iã regnãtis Principis minitãs, ei infaustus, futuro successori faustus: cur ergo sceptrum, aliaq; bona ob mortẽ tollunt potius, quã dent Cometæ? Neq; vident, quã malè peccent Astrologi in ipsa astra

illis tot mala imputantes: nam cum facta sint omnia a summo bono, boni gratia, vt scilicet gignant, foueāt, augeant; in mortes, in crimina, in bella, in annonæ caritatē, nullum horum factum est, nec quicquam inde malignū profluit. Neq; obijciāt nobis, quod scriptum est c. 5. Iudicū, videlicet, De Cœlo dimicatū est contra eos, Stellæ cadentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisarā pugnauerunt. Nā Stellarū nomine ibi Angeli vocantur, qui dicuntur manere in ordine suo; nam quisq; suo est ordine cœlestis illius hierarchiæ: eorum verò Angelorum cursus dicitur assidua illa, & cōtinens cooperatio, qua homines custodiunt, & gubernant: atque is est sensus huius sacræ scripturæ loci; non aliter, ac 12. cap. Apocalip. dicitur, Cauda Draconis illius trahebat tertiam partem Stellarum Cœli, & misit eas in terrā: Quo loco significatur tertia pars An-

bitratus est Aratus his carminibus

At si contigerit plures ardere Cometas,

Inualidas segetes torrebit siccior aër,

immo moderata siccitas ad frugum abundantiam summopere conducit: seminum namq; humidum magis compactum euadit, ac proinde efficacius germinat, viuificat, quemadmodum & in animalibus conspicere facile erit, quorum semina humidiora, infœcunda, testantur Medici, docuit experientia quotidie. Scitè igitur cecinit Poëta, nõ a siccitate, sed a pluuia sterelitatẽ pendere

Infœlix loliũ, & steriles dominantur auenæ.

Si dicas, ab exalationibus, vnde Crinitæ fiunt, inquinari semina, infœcundaq; euadere, non tutus eris: nam hæ per Cometam resoluuntur, comburuntur; vnde is abundantiæ

potius

potius, quam sterilitatis causa: neq; tunc Cometa, sed eius causa materiaria penuriæ esset effectrix. Docuit tandem temporum omnium experientia, sicciores annos apud nos fœcundos potiùs, quam steriles extitisse; quod satis historiæ declarant, a quibus habui 1556. 1558. 1575. vt reliquos prætercam, quibus annis arsere Cometæ, siccior aëris constitutio inualuit, rerum frugalium fuisse vberrimos, hisque similis 1605. Non mirum igitur, terras, torridæ Zonę subiectas, vbi nunquam contingunt pluuiæ (vt scribitur) fertilissimas esse. Certò igitur certius est, Crinitas Stellas non esse causas effectrices naturales supra enumeratarum calamitatum. quod videns Arist. qui primo Metheor. omnia ad Crinitas pertinentia diligentissimè persequutus est, nullum certè verbum fecit de

huiusmodi prænunciatione, nihilque tale a ceteris existimatum; docuit, adeo vt verisimile sit, anteactis illis scientiarum parentibus, summisque alijs viris, & felicissimis seculis nullam hac de re suspicionem quidem, aut apud ipsum, aut apud ceteros extitisse: scripsisset autem, si vera, aut verisimilia, probabiliaque fuissent, cum ad naturalem Philosophum sanitatis, ægritudinis, vitæ, mortis, penuriæ, & consimilium causæ pertineant: Sit igitur potius inanis quædam vulgi opinio, inanē timorem coniunctum habens, quam vero Philosopho digna sentētia, Crinitas earum esse calamitatum causas. At statim audio Astrologum vocitantem, eas potestates, & vires habere Cometam a genitoribus suis supercœlestibus; ideo an id sit verum, modò videamus: nam diuinus Plato lib. de Sanctitate admonet, nos non debere omnibus, quæ dicuntur, assentiri, sed oportere

tere

tere considerare, an in se veritatem habeant, nec ne.

Cometas supra enumeratorum malorum, vi cœlitus influxa, effectrices causas dici non posse.

Cap. XV.

FAMOSA quorumdam est Astrologorum sententia, Crinitas esse tot supra enumeratorum malorũ effectrices causas, accipientes potestatem ab eo sidere, a quo eorum materia fuerit attracta, recta, & gubernata, adeo vt a suis Planetis, & Stellis, tamquam a veris emissoribus, ac genitoribus, non degenerent in producendis effectis; sed paratę sint, præstare omnia, quæ sępiterni illi ignes, abdita via; cœcoque spiritu in miseros mortales eiaculant: pro quorum

rum omnium exemplo hiſtoriam deſcripti Cometæ ab Haly HebenRodan, vetuſtiſsimo Ptholomęi interprete, ſub finem ſecundi libri Quadrip. in medium affero. Apparuit nobis, (inquit) Cometa ingens, cuius pars ſolida erat, rotundæ figuræ, triploque maior Venere, cuius claritate totus Orbis illuſtrabatur, eratque lux eius, quantum, ſi quarta pars Lunę luceret, fuit in quinta decima parte Scorpij, mouebaturque motu primi mobilis ab Oriente in Occidentem, ita vt velocius procedendo, ferretur contra ſignorum ordinem, donec peruenit ad quintam decimam partem Virginis. Ab eo autem ſucceſsit inter Mauros diſcordia maxima, prælia atrociſſima, & cædes innumeræ cum magna Ciuium, & Ciuitatum depopulatione, ac luctu; & ſiccitas aëris, & annonæ penuria, indeque peſtilentia maxima, vt mors tum peſte,

tum

tum bello fuerit innumerabilium hominum: surrexitque potens Hæreticus, siue Rebellis (nam vt Ioannes Leo scribit, Rebelles in Aphrica in titulo legis, seditiones mouent, ac populum ad se trahunt, dicentes, Maometem sic, & sic velle adorari, atque eo modo tyrannidem occupant, nulli crudelitatis generi parcentes, vt etiam filios ex viuentium matrum vtero extraherent) qui Regem Mechæ, & Hyetob maximis cladibus affecit. Hæc igitur Cometæ adscripsit Haly, qui eas vires a Cœlo habere existimauit; ad eaque Virgilius alludens, ait,

—— numquam Cœlo spectatum impune Cometem.

Et alio Pontanus versiculo in Metheor. cap. de Cometis.

Et dirus quatit in terris iacula aspra Cometes.

Verùm

Verùm quam vana sit hæc prænunciatio, inde pateat, nam præterquamquod.

Omnia sunt Stellis tenui pendentia filo.

Astrologis, ita voluntariè dictitantibus, absque ratione vlla credere, non tenemur; omnes Cometas, Comam, Barbam; eorumque Caudam certo alicui sideri esse appensas; nã & si id aliquando factum scribatur, plerumque tamen Cometæ per se consistunt, a sidere nullo reguntur; vt ex antea dictis planè liquet, quando demonstrauimus, halituum causam non esse sola sidera, sed multo magis calorem, in terræ visceribus cõclusum, qui subterranea mouet. Falsum est etiam, quod tanquam verum, & confessum sibi sumunt, sidus aliquod virtute hac præditũ, vt mortem Principis alicuius, vel bellum ex. g. efficere posit; nam Stellæ omnes sunt causę vniuersalissimę, sed

par-

particularibus istis facultatibus prę ditæ non sunt; si etiam talibus ornatæ fuissent, transfundere in res alias non possent, quemadmodum argumentis insolubilibus Picus demonstrauit in opere contra Astrologos. Quod si hoc illis daremus, nihilominus incertum maneret, an hanc suam virtutem per Cometam magis, quàm per alia exercerent. Item ab Aristotele, & ab Astrologis audiuimus, traiectiones Stellarum eamdem cum Cometis habere generationem: nisi quod istic materia, quam hic, est paucior, rarior, tenuior. An igitur quia Stellæ discurrentes metheora sunt minora, sic efficere inferiorum hominũ obitum dicemus, quomodo Crinitas Principum, & Magnatum interitum procreare, scribũt? Si affirmabimus, ridebimur; si negabimus, in Naturam, vel hic, vel illic iniurij sumus. Præterea & quid habeat Cometa, propter quod aëre, ac me-

theoris

illis tot mala imputantes: nam cum facta sint omnia a summo bono, boni gratia, vt scilicet gignant, foueãt, augeant; in mortes, in crimina, in bella, in annonæ caritatē, nullum horum factum est, nec quicquam inde malignũ profluit. Neq; obijciãt nobis, quod scriptum est c. 5. Iudicũ, videlicet, De Cœlo dimicatũ est contra eos, Stellæ cadentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisarã pugnauerunt. Nã Stellarũ nomine ibi Angeli vocantur, qui dicuntur manere in ordine suo; nam quisq; suo est ordine cœlestis illius hierarchiæ: eorum verò Angelorum cursus dicitur assidua illa, & cõtinens cooperatio, quæ homines custodiunt, & gubernant: atque is est sensus huius sacræ scripturæ loci; non aliter, ac 12. cap. Apocalip. dicitur, Cauda Draconis illius trahebat tertiam partem Stellarum Cœli, & misit eas in terrã: Quo loco significatur tertia pars

An-

Angelorum. Vnde nihil hic habent Aſtrologi, quo ſe tueantur. Quare eos facete admodum notauit Seneca in ludo de morte Claudij Cæſaris, inducens Clothum ita loquentem. Patiar, aliquando Mathematicos verum dicere, qui illum, poſtquam princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt. Quod ſi vera ſint, quæ ſcribit Haly, dicerẽ, permittente Deo, facilè incidet quiſque in ea, quæ timet; legitur enim cap. 10. Prouerb. Quod timet impius, veniet ſuper eum. Potuiſſem equidem ab hac difficultate me ſubtrahere, Diui Baſilij auctoritate, dum ſcripſit, Ridiculum eſſe, Aſtrologis contradicere, cum eorũ dicta ſint omnia ignorantiæ, & impietatis plena. Verum quoniam paſsim reperiuntur Aſtrologi, qui cum ſciant nihil, omnia tamen ſe ſcire profitentur, & maiorem hominum partem permouere, in eorumq; fauorem præſtigijs detorſere,

pro-

propterea paucula hæc apponere volui,& finem capiti imponere elegantissimis Alciati carminibus in Astrologos

Astrologus caueat quicquã prædicere,preceps
Nam cadet impostor,dũ super astra volat.

Cum igitur Cometæ neque vi propria, neque ab astris influxa,possint esse causæ supra enumeratorum malorum. Videndum modò,numquid signa sint.

Vtrum Cometæ sint naturalia signa malorum supraenumeratorum.

Cap. XVI.

NON desũt inter Astrologos, & Philosophos magni nominis, qui arbitrantur, Crinita sidera esse naturalia signa interitus

ritus Principū, bellorum, ruinæ Imperiorū, penuriæ, & cet. quibus partim suffragatur Pōtanus, ita scribēs in Metheor. primo de Cometis cap.

Vētorū quoq; certa dabūt tibi signa Cometæ;
Illi etiam belli motus, feraq; arma minātur,
Magnorūet clades populorū, et funera Regū.

partim Marcus Manilius lib. primo Astron. propè finem, vbi de Cometis loquitur hunc in modum,

Squallidaq; elusi deplorant arua Coloni,
Et steriles inter sulcos defessus arator,
Ad iuga mœrentes cogit frustrata iuuencos;
Aut grauibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit exustis lethalis flamma medullis:
Tabentesq; rapit populos, totasq; per vrbes
Publica succensis peragūtur fata sepulchris;

& paulo post

Quin & bella canunt, varios, subitosq; tumultus,

Et

Et clandestinis surgentia fraudibus arma;

& infra

Ciuiles etiam motus, cognataq; bella
Significant.

Et Virgilius de signis, quæ præcesserunt Iulij Cæsaris mortem, quæ bellum ciuile peperit, canebat

Non aliàs Cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsère Cometæ

Poëtarum igitur testimonio suam hi satis habent confirmatam prænũciationem, quæ libranda modò. Accipiamus itaq; pro fundamento. Si Cometæ affirmentur, supradictorum aliquid naturaliter significare, omnino est opus, vt eam cum eo nexũ habeant, quem signum cũ re signata. Quomodo.n. significare aliquid certi posśint, si eius rei signum nõ sint? aut quomodo signum erunt certæ rei si cum ea connexionem nullã habeãt?

Naturale vero ſignum dico, quod ſuaptè natura certi aliquid ſignificat. Si igitur Cometa prædictorum erit naturale ſignum, neceſſarium eſt, vt vel ſit cauſa rei ſignificatæ, vel eiuſdem effectus, vel quid ab eadē illa cauſa profectum, a qua res itidem ſignificata efficitur, atque ita colligationem habebit: nec datur alia connexio, qua res aliqua a ſe aliud ſignificare naturaliter poſſit. Auſtrinus, exempli gratia, vētus, flare incipiens, futuræ pluuiæ ſignum eſt, quia cauſa eius eſt. Lac ſignum eſt corruptæ mulieris, quia ab ea producitur. Iris veſpertina ſerenitatis ſequuturæ ſignum eſt, quia cauſa, quæ facit, vt Iris veſperi appareat, eadem ſerenitatem quoque inducit. Qui cauſas tot malorum faciunt Cometas, ſatis deceptos fuiſſe, demonſtrauimus ſupra. Neq; effectus eorum dici poſſunt Crinitæ: Etenim qua ratione Principū mortes, bella, ruinæ Imperiorum, Vrbium

um excidia, annonæ caritas, & cõsimilia Cometas efficiant, imaginabile non est sapienti viro. Præterea omnes ponunt, toties dictas calamitates post Crinitas sequi; effectus verò numquam præcedit causam. Respondent aliqui, quod vulgo dicitur. Capra non dum peperit, hædus tamen saltat in tectis. At hi perinde faciunt, atq; is, qui Medicum neq; conceptum, neq; ortum, ausit affirmare, admirabiles quasdam sanationes fecisse: & Militem, in primordijs suæ generationis latitãtem, strages, ruinas, & inimicorum deprædationes gessisse. Ceterum nec eadem causa Crinitarum, & enumeratarum calamitatum construi potest. Cometarum causa est sicci, & oleaginosi halitus copia, ad supremã vsq; aeris regionẽ sublati. Interitus verò Principum, vrbium, bellorum, & cet. causæ longè aliæ sunt, quas Deus solus scire potest, qui est scrutator cordium, cuiq; cuncta plana, &

aperta: quod si ex Astrologis vnus, vel alter hæc se scire iactet impudenter, dicat cum Fernando Sanctio

En ego, qui summũ speculatus sum aëra, cladẽ
Non animaduerti, quæ fuit ante pedes.

Præterea exalatio, quæ Crinitis est alimentum, & materia a calore, tũ in stellarum, tum in terræ sinu incluso, generatur, in altumq; & ab eodem attrahitur, & sponte sua fertur, quæ si bellum, Magnatum mortes, & cet. creare debet, mille alias accidentales causas interuenire, oportet. Liquet igitur, supra enumeratarum calamitatũ Cometas naturalia signa dici non posse. At dicet aliquis, naturaliter talia significandi Cometis prærogatiua tribuitur, quia experientia docuit, multas, easq; naturales calamitates sequi ad eorum apparitionem. Sed eædem, & consimiles etiam res aliàs consequutæ sunt, & euenerunt

eædem

cædem, ac maiores, quem nihil tamen præcesſisset. Neq; id, quod post aliud sequitur, ab eo,quod præcessit, indicatur semper. Mortui etiam sunt Pōtifices Summi aliquot superioribus annis,& prioribus Carolus Imperator, Rex Poloniæ,Galliæ Reges duo, Rex Hispaniæ, Turcici Imperatores, Princeps Transiluaniæ, alijq; Magnates. Bella etiã plurima inter Christianos, & Turcas, Gallos, Hispanosque; pestilentiæ, penuriæ contigerunt, quibus nullus præluxit Cometa, vt apud Historiographos adinueni, & consimilia longe plura apud eosdem habentur exempla, quæ missa facio, cum vbiq; omnia apponere non deceat. Alij quoque arsere Cometæ, earum tamen calamitatum nullam fuisse sequutam, legimus: neq; mirum; nam hi ob Vniuersi perfectionem, ornatum, & propriæ formæ generationem sunt: non igitur ob tot mala indicanda, quæ per se ab-

horret Natura, cum simpliciter in bonum ad generationem dirigatur. Concludamus igitur, sinistroru euẽtuum naturalia signa haud esse Cometas. Modò numquid artificiosa signa sint, videndum nobis est.

Vtrum Cometæ sint eorum, quæ dicta sunt, malorum signa humana, vel diuina.

Cap. XVII.

SIGNORVM alia sunt naturalia, alia artificialia; nec extra hæc alia reperiuntur: de prioribus hactenus; de Artificiosis modò in Cometarum gratiam agemus, inquirentes, numquid ab his artificiosè toties recitata mala possint indicari. Artificiosum signum voco, quod non ex sua natura,

sed

ſed ex pacto, & conuento aliquid denotat: eſtque duplex, Humanum, Diuinum. Quid ſit vtrumque, aperire lubet, nam, vt Plato inquit, Non benè iudicat de duobus, niſi qui vtrumque cognouit. Humanum eſt lapis, exempli gratia, quem terminum appellamus; eſt enim ſignum diſtinctionis agrorum ex pacto, & conuento hominum. Diuinum uero eſt Iris, exempli gratia, quæ ex pacto, & promiſsione diuina ſignum facta Noe priùs, inde nobis eſt, mundum non amplius diluuio periturum, vt habetur Genes. cap. 9, Toties dictarum calamitatum Cometas non eſſe humana ſigna, nemo ſani capitis eſt, qui neget; quum non ſit hominis excitare Cometas, & in certa aliqua Cœli parte collocare, vt certi aliquid ex pacto, & conuentione ſignificent. Relinquitur igitur, quod ſint Diuina, cuius opinionis antiquiores

multi, & recentiores, & præsertim Mizzaldus, Erastus, Martinus Delrio sunt protectores, dum inquiunt, esse signa Crinitas, iram Dei exardescere in genus humanum, qui eo modo vult commonefacere homines de imminente publica calamitate, vel morte Regum, & cet. Cuius opinionis Damescenum 2. de Fide Orthodox. cap. 7. fuisse, scribitur, & Venerabilem Bedã lib. de Nat. rerum, dum ait, Cometæ sunt Stellæ flammis Crinitæ repentè nascentes, Regni mutationem, aut pestilentiã, aut bella, aut vẽtos, æstusuè portẽdẽtes. Verùm cum signa Diuina sint in duplici serie constituta, Alia, quæ certã habent, & a Deo expressã significationẽ, Alia quæ generalem tantum, specialem, aut singularem nullam. Prioris ordinis exemplum sit illud, quod cap. 6. lib. Iudicum scriptum est: legitur enim ibi, Gedeoni Madionitas inerfecturo, pacto, & conuentione signa duo promisisse Deũ; primum

primum fuit, madefacta a rore lana in media area , nocte prima . Alterum , area madefacta , intacta a rore lana , nocte secunda . Posterioris verò generis in exemplum transeant monstra , prodigia , ostenta , & inusitata, præter naturæ cursum communem euenientia ferè omnia . Horum signorum indicationem nulla arte , ratione , ac methodo cognoscere possumus , sed illis tantum licet , quibus a Deo reuelata sunt : est enim hæc artificiosorum signorũ natura , vt diximus , vt non aliter , quam ex pacto significent . Non igitur signa Diuina Crinitæ tantorum malorum , neque in genere , neque in specie , cum in sacra pagina nulla extet mentio de portentosa Crinitarum apparitione ; neque per reuelationem id habuerint veteris, nouiq; testamenti Coriphæi : neque diuina signa mutabilia ; nam Deus , qui ea dat , est immutabilis . Igitur si talia , semper mala indicarent . Sub-

mortem vero Neronis non illum terris perniciosum, sed summè bonũ Cometẽ apparuisse, testatur Cornelius Tacitus: neq; tam facilè in scelera nostra excandescit Deus Misericordiarum (inquit.n.) Nolo mortẽ peccatorum, sed magis vt conuertãtur, & veniant ad me. Huc quoq; facit, quod Dominus Hiere. cap. 10. dixit, videlicet, A signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes. Immo si diuina signa essent Crinitæ Stellæ, non mala, sed bona; nam si à Deo fiunt, & dissoluũtur, vt scribit Damascenus, videlicet per causas, quas secundas dicimus, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Potiùs ergo ad Cometarum apparitionem bonum aliquod, miseratione Diuina, nobis polliceri, quàm tot mala augurari, credamus. Nam, Christo nascente, mirandus quidam in altis Cometa refulsit, denuncians descensum Dei venerabilem ad humanæ seruationis, rerumque mortalium

talium gratiam. Quod autem ea fuerit Stella, a doctis Iudicata Cometa, testatur Mantuanus dicens:

Hac quoq; nocte Magi clarũ vidêre Cometã

& lõgè clarius Origenes cõtra Celsũ addens etiã, se legisse in libro Chere mõtis Stoici, a Cometis prospera, & salutaria significari. Iure igitur Augustus Crinitã Stellã visẽdæ magnitudinis, quæ Iulio Cæsare sublato statim apparuit, fœlicitatis, quæ se deposceret, ostentum intepretatu est.

Obiiciẽt hic Iuniores, qui se Cœli, rerũq; naturæ iactãt peritissimo exploratores, inter quos vnus Marcus Frytschius Laubanus Hexapolẽsis, Aëreos ignes veri Dei esse multarũ calamitatũ signa vera, atq; ministra; tum quia igne, & sulphure cõflagrarunt Sodoma, Gomorra, & vicinæ Ciuitates; tum quia iratu Dominus Hebræis, Mosi contradicentibus, igne quinquaginta viros

incensum offerentes, in templo cremauit, Num. 16. Idem Israelitis indignatus, seruitute Aegyptiaca liberatis, dum pro labore murmurans, accenso igne, postremam Castrorum partem perdidit, Num. 11. Nadab etiam, & Abia filios Aaron, quod contra præceptum Domini alienum ignem suis turribulis imposuissent, quo tempore incensum erat offerendum, egressus ignis a Domino deuorauit, Leuit. 10. Quibus sic esse satisfaciẽdum puto, quod olim priusquam Deus immortalis humani generis misertus esset, Dominus erat vltionum, exercituum. Modò, suborta luce, & Euangelio corusçante, reconciliatione per Iesũ Christũ Crucifixum, filium viui Dei nobis impetrata, misericordiarum Dominus, & totius consolationis Pater, sua pietate, vbique habetur. Vnde non a signis antiqui temporis facile est ad nostram ætatem argumentari. Præterea aliud est, de Co-

metis

metis loqui, aliud de ignibus in hominum supplicia, a Deo propter scelera varia Cœlitus immissa. Addas, in veteri testamento quamplures ignis appariciones reperiri, quæ non Hebræis ominosæ, sed summe bonæ fuerunt: nam Exod. 3. legitur, quòd Deus dimissurus Mosem, prudentissimum Hebræorum Legislatorem in Aegyptum, qui liberaret Israelitas a sæuissima Pharaonis seruitute, visus est in flamma ignis de medio rubi, dicens; Sciens dolorem populi mei, & videns afflictionem eius, descendi, vt liberem eum. Habetur similiter Exod. 19. quod apparuit Dominus Mosi in caligine nubis super montem Synai, totum fumis, & magno strepitu oppletum, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & tum ascendebat fumus ex eo, quasi de fornace, eratq; mons omnis terribilis: quo tempore tabulas, in quibus digito Dei cõscripta erant Decalogi præcepta,

Mosi in manum dedit, vt ea Hebræis exponeret. Non igitur ominosæ, & iræ Dei, in humanum genus efferuescentis, signa semper igneæ apparitiones ex sacris paginis, a quibus nec potest haberi (& si tales essent semper) determinatus euentus, nec statuta, & certa a Deo vindicta. Quod si, lugubria a Cometis Cœlitus significari, quis daret; ea non nobis, Christique fidelibus, at Hæreticis, alijsque a Christi vera fide gentibus imminere, dicat cum Valerio Flacco lib. 6. Argonaut.

A Ioue fatales ad Regna iniusta Cometæ.

& cũ Richardo Matero Anglo elegãtissimis hisce carminibus pro Cometa anni 1577. conditis.

Ecce Cometa nouus toto splendescit in orbe,
Qui importat varijs mistica certa modis.
Ignis enim rapidus Cælo demissus ab alto,
Terrenam inflammans tam cito materiã,

Præ-

Præcedens fumus, quæ scintillare videtur,
Caudaq; præmonstrans nuncia dira mali,
Hæreticis ingens ignis, vindicta Deiq;,
Interitus reprobis, bella cruenta, lues.
Est ferrũ, atq; fames, mors, luctus, lurida pestis,
Et mala plura malis iste Cometa notat.
Est iubar, & splẽdor, radiãtis lãpadis instar,
Demonstrans populis consilia alta Poli.
Est fulgor Christi, vultus conuersus ad omnes
Ecclesiæ fines, quos vagus orbis habet.
Aurea stella micãs, longaq; propagine crescẽs,
Ecclesiam Christi ritè notare velit.
Sideris & splendor sit pulchritudo notanda
In Christi sponsa, gloria, forma, decor?
Vt Solis nitido quasi lumẽ in æthere fulgens,
Imperium toto signat in Orbe Papæ:
Sit iubar Ecclesiæ, vult ostentare triumphũ,
Quæq; reportabant celsa trophæa Duces.
Deniq; pax, & honor, decus, & victoriæ sũma
Christicolis cedit Ecclesiæ imperium.

Cum

Cum itaq; neq; Naturalia, neq; Humana, neque Diuina signa sint Crinitæ eorum euentuum, de quibus centies iam est facta mentio; Videndum modò est, Vtrum Cometæ alicuius rei naturalis, vel causa, vel effectus, vel signa aliqua esse posint.

Vtrum Cometæ alicuius rei naturalis signa sint.

Cap. XVIII.



Quidem non inficior, Crinita sidera naturalia signa certarum rerum esse posse, in quibus tantum Marci Manilij versiculum admitto:

Nunquam futilibus excanduit ignibus aër.

Quid autem naturaliter significare valeant, sciunt, qui eorum naturam bene

bene fuerint contemplati: nam si intelligemus, non quidem ex pauca exalatione, vt quædam alia ignita metheora, sed ex multa, fieri Cometen, eiusque flammam assiduo halituum ascensu foueri, quos & vi caloris, & substantiæ similitudine ignita illa flãma attrahit; dubio procul nõ ignorabimus, aërem halitibus siccis, & oleagineis esse cõspersum, atq; refertum, qui si absumantur a flamma in parte aëris accensa, aërem tenuiorem, ac puriorem reddi, necesse est, siccitates inde consequi: si verò pars eorum remaneat, non dispulsa a sequente aëris constitutione, vẽtos ingenerari, credibile est, inde quoque pluuiarum penuria; non enim in pluuiam densari possunt hoc modo arefacti halitus: hinc etiam ignito derelicto vestigio, neque nubes a frigido cogi, neque densari, & in pluuiam conuerti valent; neque cum Cometa dissoluitur, in aliud, quàm in

ventos

ventos, hoc est, in aspirationem, è qua venti existunt, potest dissolui: quamquam possimus etiam dicere, quod, apparentibus Cometis, eleuantur aspirationes multæ, dum aperiuntur spiracula siccitatibus, quarum aliquæ in Cometam transeunt, aliquæ verò a mediæ regionis aëris frigiditate repulsæ, exagitatæ, transeunt in ventos: nam vt videtur Aristoteli, qui in physicis rebus est verè pater, & Magister; fumida exalatio est ventorum materia, quæ turbido, & vaporibus pleno aëre tenuior, limpido, & puro crassior sit, qua ratione ex terra in primam aëris regionem, quæ usque ad nubium locum pertingit, naturaliter effertur: a superiori verò limpidioris aëris regione, præter a frigiditate repulsam, suo ipsius pondere retrahitur: legitur enim cap. 28. Iob. Qui fecit ventis pondus; ne scilicet ferantur sursum per totum aërem, sed quasi

quodam

quodam pondere depressi ferantur circũcircã terrã. Vnde scribit Arist. Lychomacho, Athenis Prætore, quòd per paucos dies arsit Cometa iuxta circulum Aequinoctialem, quem est sequutus vẽtus horribilis propè Corinthum: & anno 1 3 5 2. extincto Cometa, qui sub Septentrione, mense Decembri, apparuit, vehementes ventorũ flatus subsequuti sunt. Hinc Pontanus dixit in sua Metheorol. cap. de Cometis

Ventorũ quoq; certa dabũt tibi signa Cometæ.

Ab his verò tenellæ arbores, horariique fructus adeo insani detrimentum certè patientur imposterum, & olim sunt passæ. Proinde verò, flantibus ventis, lapidum in altum raptus, inde casus, Maris, & fluuiorum innundationes, accidentaria quadam consequutione, contingere non negamus. Legimus enim (si tamen credibile sit) tempore Anaxagoræ, Cometam post Solis oc-

occaſum 75. dies continuos exarſiſſe ingentis magnitudinis. Mox tantus ventorum impetus obortus eſt, vt lapidem, vehiculi magnitudine, colore aduſto, a rupe auulſum, & ſublatum in ſublime turbo ferret, donec ad Vrbem Thraciæ Aegoſpotamos delatus, a Cœlo decidiſſe creditus eſt: quamquam nec rationi, nec philoſophiæ refragatur, lapides, quemadmodum grandines, & alia Metheorologica, in aëre generari, quando terrea, & viſcoſa exalatio, intra vapores incluſa, ab antiparistaſi circumſtantis frigiditatis inflammatur inflammatione leui, quæ mox ab eadem frigiditate extinguatur: atque ita legitur in Antiquorũ annalibus, pluiſſe lapidibus. Inter iuniores verò refert Ambroſius Pareus lib. 14. ubi de Monſtris, & Prodigijs agit, cap. 23. Sugoliæ ad Hungariæ fines 7. die Septembris Anno Domini 1514. ſaxum pondere 50. librarum è Cœlo delapſum, quod

quod Ciues, ferrea catena traiectū, ex medio Ciuitatis templo pendere voluerunt, magni miraculi loco, viatoribus commōstrandum. Alterius rei exemplum mirum sit Cometes, qui apparuit anno 876. solito rutilantior, post quem subita, & nimia aquarum inundatio facta est Mense Iunio, adeo vt in Saxonia Villa quædam, longe a torrentibus, & fluminibus remota, in momento cū hominibus, bestijs, arboribus, & ædificijs penitus absorta sit, ita vt nullum habitationis vestigium remanserit. & 1530. & 1533. a dissolutis Cometis in Flandria, Romæ, & in vniuerso Poloniæ Regno sequutæ sunt aquarum illuuiones periculosissimæ. Ipsis verò halitibus, a Cometa non resolutis, putrescentibus, & præsertim accedentibus frequentioribus pluuijs, quas aër, post Cometæ tempora ad aliquot menses, effundere quandoque uisus est, rerū quadam vicissitudine reuocata, vniuersi

uersi harmonia, vaporibus accedentibus, se se permiscendo cum ijs inquinatis putrilaginosis aspirationibus, degenerantibusuè in consimilem, ob contactum, contagiumq; naturam ad malum disponi, alteratique aërem, aliquando vidimus, legimus, scimus; vnde corporibus, & præsertim debilioris naturæ, morborum genera varia imminere, tunc existimamus. Certam verò materiã de his per Cometæ apparitionem, quæ in scientiam firmam vertatur, haberi posse, & indicari, negamus. Namque anno 1472. Cometa magnus per mensem Ianuarium visus est, & consequuta inde infestissima aëris constitutio ob glaciem, niuem, pruinam, adeo vt maiorem vinearum partem absumpserit: & 1527. alter visus, post quem ingens grando, arboribus, vineis, & frumento damnum dedit maximum, quæ tamẽ omnia a natura Crinitæ aliena videntur, & potius ab ea arceri, quam inge-

ingenerari ea, vel ſimilia debuiſ
ſent. Putida quoque & ſuperuaca
nea nimis iudicamus, rurſum appo
nere alia, quæ tamquam a remotiſ
ſima cauſa accidentaria, & magi
putatitia, quam vera a Cometi
pendere, producique inuiolabilite
Pſeudoaſtrologi iudicarunt.

De Cometarum perduratione.


Cap. XIX.


VANTVM tempori
inceſſus Cometa ex
ardeſcat, dubium e
apud peritiſsimos v
ros. Plinius enim ar
bitratus eſt, non in
fra ſeptem, nec vltra 80. dierum ſpa
tium extingui poſſe. At Neronis tē
pore Crinitum ſidus per ſex conti
nuos menſes perduraſſe, ſcribi
tur: vnde fit, vt alij exiſtimarint

non vltra 180.dies extendi. Et M. Antonius Muretus (quo Plinium tueatur) ad lib. 7. natural.quæstionũ Senecæ Notis putat, addendam esse Plinio vnam literam C.vt sit C.octoginta: totidem enim diebus sex menses continentur; illique videtur subscribere Iacobus Pontanus parte prima progymnas.3.vol. Verùm anno primo Imperij Vespasiani, supra Hierosolymam Cometa stetit, Gladio similis, & per annum integrum conspectus est, vt adnotauerunt Iosephus Ecclesiasticæ historiæ diligẽtissimus scriptor,& Eusebius rerum Iudaicarum paraphrastes elegantissimus, quibus suffragantur Aegisippus lib.1.cap. 14.de Excidio Hierosolymitano, & Zonaras Annalium tom.primo. Qui verò apparuit anno 1572. in sedili Casiopeæ, duos annos durauit, sæpe intuente Francisco Fernandez Raxo, eodemque testante libro primo de Cometis ca. . Quare potius dicerem, Cometarum

rum tempus, durationem, & occasum, statutis quibusdam diebus, vel mensibus præfiniri non posse: in longos enim, vel breuiores dies facem illam, in sublimi accensam, arbitror, pro materiæ, pabulique copia cohærentia, incensionisque modo protrahi: nam vbi plus materiæ viscidæ, ac densæ, incensioni aptæ, ibi flammam longius perdurare, credimus; vbi minus, contra. Maiori itidem, vberiorique; congruo ascendente halitu, pro pabulo quotidie succes siuè flammam diutinam foueri, nemo negare audeat: vbi verò deficiat pabulum, vel impurum admodum apponatur, Cometen extingui credimus, quemadmodum lucernæ lumen ob olei inopiam, vel impurioris, instar fæcis, & amurcæ appositionem. Varij quoque incensionis gradus, magis, minusuè intensi, celeriores, ac tardiores perdurationis Cometæ modum variare quæunt; accedentibus etiam alijs, quæ quam-

nis contingant, in esse tamen suo vertuntur, posita in necessarij naturam; quibus & hanc, non aspernandam rationem addendam, duximus, quod breuiores sint Crinitæ, Soli viciniores factæ, ortuque matutino Phœbum præcedentes; contrariæ verò longius durationis tempus agnoscũt. Non igitur sine ratione ducti dicimus, varium, satisque incertum, & inconstans esse Cometarum tempus.



PRO-

PROBLEMATA COMETOLOGICA.



VARE plures, neq; ſæpe fiunt Cometæ? An quia rarò in ſublimem aëris regionem illam conſcendunt halitus, cum prius in flatus diſsipentur, vel in alia ignita metheora vertantur? An quia Elementarius mundus mille modis repurgatur, rarò per Cometas? An quia Solis, & ſiderum motus non ſolum exalationem ſecernit, ſed id etiam, quod concretum eſt, qualis materia eſſe ſolet Crinitis generandis accommodata, diſsipat, ita vt earum generationi materia non remaneat? An quia inferior natura, certa quadam mundi lege, ſurſum non ſemper abire ſinit calidos, ac tepentes halitus, quos vt multos intra ſe continet, ita illis in ſuarum partium harmoniã qualem.

lemcumque (perinde atque huma nũ corpus) ad ſtatutum tempus vtitur, & ſæpius abutitur? Cuius periodum veluti criſim quandam quoties inſtare animaduertit, laxatis hinc inde clauſtris, vt vegetior fiat, illis ſe ſe exonerat, & nouum corporis habitum induit. An frequentius fiunt, quam videantur, & circa crepuſcula, quia tunc homines, harum obſeruationum cupiditate illecti, vigilant, nocte dormiunt, die videri rarò poſſunt, & præſertim quando exiles ſint; quandoquidem vehementius lumen Solis, minoris Cometæ lucis viſionem obtundit?

Problema II.

QVARE Cometa, qui nobis Auſtralis videtur, alijs ad Septentrionẽ apparet? An quia diuerſa terrarũ loca diuerſimodè aſpectum noſtrum fallant ob ſitum, quemadmodum

modum Tropicus Cancri, qui nobis ad Meridiem positus est, his, qui vltra illum habitant, ad Septentrionem videtur? An quia vario motu, eoque contrario, veluti mare fluxu, atque refluxu, agitatur quandoque? An hoc haud facilè admittendum, cum aliud sit esse, aliud videri?

Problema III.

QVARE Cometa fixus videtur, flamma verò, & Cauda traijci, & in transuersum moueri? An quia flamma, vt palearum cumulus, cum exuritur, procreatur ob succesſiuam inflammationem; Cometa verò principium, & finem in se habet exarſionis? An quia Cometæ corpus craſsioris materiæ, Cauda tenuioris, ob id illud ad motum iners, hæc suaptè natura procliuior, vnde in transuersum agitatur, Cometæ corpore ad visum existente immobili? An id non semper

verum? nā varijs motuum differentijs agitari quandoq; videtur, dum & apponitur pabulum, & ibi incensio procreatur.

Problema IV.

QVARE Cometæ primùm pedales, mox tripedales, octipedales, ac in immensum ferè crescunt, emicant? An quia aspirationes aridæ, Cometarum materia, pauciores, & rariores, primum sursum coaptantur, postea verò confestim, ascendente multitudine, addēsantur, ac magis, magisq; oleaginosa substantia, ceu glutino quodā ligante, in longum, latum, & profundum coguntur? An quia modica in primis ardet materiæ portio, inde maior, mox verò tota, cum fuerit incensioni bene apta? An quia ignis celerrima sit generatio?

Problema V.

QVARE Cometæ corpore, remiſsius Cauda, & Coma lucet, ac ſurſum tendit? An quia Cauda vnà cum Coma ſubſtantia a reliquo Cometæ corpore nihil differt, niſi quod rarior, atque leuior exiſtit, vnde ob raritatem remiſsius lucet, ob leuitatem ſurſum tendit? An quia tum Cauda, tum Coma ſunt Cometæ corpore minoris quãtitatis, & in minori quanto minor eſt virtus? An quia ob nimiam diſtantiam rarioris viſibilis, & ob minoris luminis ſpeciem obliterari ferè, & dum longius abire, ſurſum etiam tendere videntur?

Problema VI.

QVARE Crinitarum formæ tam diuerſæ? An quia petentis ſurſum halitus forma diſsimiliter

ſpargitur? ideoque variæ ignitarum impreſsionũ figuræ ab Antiquis adnotatæ fuerunt. An quia, cum rarò appareant Cometæ, diuerſæ ætates diuerſas formas illis adſcripſerunt, tametſi fortaſsis non vſq; adeo diſsimiles fuerint?

Problema VII.

QVARE circa Septentrionẽ Cometæ frequẽter apparent? An quia illic aëris pigri, & exalationum craſſarum eſt plurimum, ob radiorum ſolarium imbecillitatem, a quibus ſurſum, aut deorſum perdi, & diſsipari haud quaquam poſſunt fumida Crinitarum fomenta, ob contrariam verò rationem inter Tropicos, & in Meridie rari ſiunt? An quia ibi ignes ſubterranei plures? An quia ſulphurea, & oleaginoſa materia, Crinitarum generationi accommodata, ea in parte vberior?

Problema VIII.

QVARE Cometæ Vere, & Autumno frequentius; Aestate, & Hyeme rarius conſpiciuntur?

Quia prioribus anni temporibus calor Solaris mediocris, & temperato proximus fumidas incendio per opportunas materias ſurſum eleuare, & illibatas, quò ad eius fieri poteſt, ſeruare aptiſsimus eſt; poſterioribus verò nequaquam. Nam æſtate effumationes facilè diſtrahuntur, diſperduntur ob præpollẽtes Solis radios: hyeme verò propter circumfuſum frigus, & infirmas eorumdem radiorum vires in altum non feruntur, aut frigore nimio, & humiditate ſuffocãtur, vt eruditiſsime ſcribit Alexius Vanegas lib.natural.ca. 33. Hyeme tamen, ac Aeſtate quandoque viſos Cometas, Octauius Vibianus Brixienſis, & Barrientus liberalium

beralium artium Magister propriis de Cometis libellis testantur.

Poblema IX.

QVARE Cometæ quãdoq; de die vidẽtur? An quia ab ijs, qui visus acumine pollent, etiam diuersis horis adnotari possunt? An ob aëris multam subtilitatem? An quia splendor colligitur? An quia dies obscura? An quia lux ipsa vehemens? adeo vt Solis splendor non possit illam eripere, visionemque omnino delere, & impedire; quibus de causis quandoque Venerem, & Mercurium in Meridie conspicimus.

Problema X.

QVARE Cometæ Cauda ad vnguem partem Soli oppositam respicit, & cum Sol occidit, Cauda Crinitæ sit adamussim Oriẽtem versus? An quia ob raritatem re-

remiſsius lucet capillamentum, vnde a ſplendore Solis in eadem parte ſuperatur, in contraria neutiquam? An quia in eadē Solis parte ob eius energiā aſpirationes tenues, rariores ad corpus vſque Cometæ, radiorum Solarium vi abſumantur, ac diſsipantur? An quia leuis, & rara materia, Comarum inſtar, antipathia, ſi quam cum radijs Solaribus habet, facilè in contrariam partem retruditur? An hoc non ſemper verū, vt adnotauit Georgius Valla in ſecūdum Plinij? quæ ſi nouiſſet Cornelius Gemma, numquam Cœleſtis naturæ Cometæ Caudam poſuiſſet.

Problema XI.

QVARE Cauda quandoq; non eundem habet cū Cometa motum? An quia aliquando non illi continua, ſed contigua, & errabunda in motu pro pabulo? An quia ab aliquo tunc ſidere eius ſeminari-

um

um attractum etiam in motu regitur, gubernatur? An quia dum ardet Cauda minoris materię, tenuior, & rarior euadit, vnde facilè in vnã, uel alteram flectitur partem?

Problema XII.

QVARE Cometæ quantũuis magni, parui videntur? An quia nimia distantia radicem ocularem decipit? nam centesimo passu in altum hebetari nostrum visum tradiderunt optices periti, sic & astra minima videntur, quorum tamen omnium minimum (exceptis Venere, Luna, Mercurio) si vera scribit Alphraganus, decies octies terra maius est. Inter terræ verum interstitium ad proximum Lunæ locum, vbi ardent quasi Cometæ, distantiã esse 107250. ferè milliarium testatur Leupoldus, Ducatus Austriæ filius. An quia ad continentis loci magnitudinem relati, sunt veluti pũcta quædã?

Problema XIII.

QVARE Cometarum colores tam varij obseruantur? An quia imaginarij ex visus imbecillitate commenti sunt, quem substrata nubecula, & subhumidus, & caliginosus aër eludere facilè potest pro varia medij, & intuentium natura, permistioneq; lucis, & opaci: An quia reales sunt in Crinitarum incendio, vbi variè fermentantur pro varia eius, quæ apponitur pabulosa substantia, hoc est pro raritate, densitudineque materiæ, alij, atque alij procreantur? nā, exempli gratia, rara exalatio dat videri cādidos, & argenteos; densa verò, & crassa sanguine suffusos, atq; proinde variæ partium materiæ miscela varios efformat colores.

Pro-

Problema XIV.

QVARE Cometæ ſphærici videntur? An quia lux & ſplendor quilibet, a lõge viſus, ſphæricam præmonſtrat figuram? vt apud Vitellionem x. 54. An quia eam formã a loco ſphærico, aere nimirum, accipiant? An hoc non ſemper verum? cum aliquando alterius figuræ conſpecti fuerint.

Finis.

Regiſtrum.

A B C D E F G.

Omnes ſunt Sexterniones, præter G. qui eſt Ternio.

PERVSIAE.

Apud Auguſtos. M. D. CVIII.

Superiorum permiſſu.